

AB

137444



*Handwritten signature or initials*





G. 458.



005





# DIALECTICA PHIL.

MEL. AB AVTO

*re adaueta & recognita,  
ita ut in multis ueterem  
non queas agnoscere.*

*Epitome Dialectices, Theobaldo Billicano autore.*

*Scholia in Topica Ciceronis,  
Autore Hegendorphino.*

*Omnia iam recens nata & edita.*



AD STUDIOSAM LITERA  
rum pubem, Philippus Engentinus.  
Improba sæpe agros reddit cultura feraces,  
Quos damnat sterili Iuppiter ipse situ.  
Pascua sæpe facit non stertens læta colonus  
Hic ubi fert duram terra maligna plagam.  
Quod si conueniunt optati sydera cœli  
Et telluris opes atq; operosus amor  
Flaua uidebuntur porrectis iugera campis  
Procyon assidua cum premit arua siti.  
Pinguiatq; ubertim scetus armenta sequuntur  
Tam multum cura hæc utilitatis habet.  
Sic quoq; culturæ iuuenis nisi præbeat aurem  
Quicquid habet, porro deperit, ingenij.  
Te doceat natura parens uincenda per artem  
Quæ uel in hos tantum condidit ipsa gradus  
Utq; nihil desit tibi præscripsere libellos,  
Quos ditat pleno numine Mercurius.



L 148 AB 137 444



# D. IOANNI

SVERTFEGGER, IVRIS

CONSULTO. PHILIP

pus Melanchthon. S.



ANNO SUPERIORE  
rhetoricis quasdam institutio-  
nes effudimus uerius, quam  
scripsimus, quibus, ut argu-  
menti ratio postulabat, per  
paucam de Dialecticæ ratiois,  
siue ordine, siue compositōe  
adiunximus. Neq; enim rhetorica citra dialecticorum  
usum cōmode tractari, absoluiq; possunt, non tam, q̄  
omnes inter se cognatæ sunt Cyclicæ disciplinæ, quam  
q̄ illis proprie cū ratione Dialectica sic cōuenit, ut nihil  
certi, nihil firmi rhetores tradituri sunt, si tollas è medio  
Dialectica. Hæc ut copiosius tractarem, studiosi quidam  
à me contenderunt, q̄ eo sint loco nostris temporibus,  
ut & magna professorum pars artis usum ignoret. Sus-  
furatus igitur horas aliquot studijs meis, disserendi ra-  
tionem descripsi, idq; quam potui, breuissime. Primū,  
quod res ipsa, per sese paucis tractari, & queat, &  
debeat. Deinde, q̄ uideam immensis nostrorum homi-



num commentarijs factum, ut dum pleraq; tenuiora  
argute magis, quàm apte persequuntur, uim omnem  
usumq; Dialectices amiserint. Nec in hoc comparatã  
differendi artem, ut esset regula quedam disputandẽ  
de communibus causis, sed ut esset, quod in umbra  
ipsi inter sese nugarentur. Porro hæc una nobis cura  
fuit, ut indicaremus, quis rei maximopere necessariæ  
in literis tractandis usus sit. Neq; tam hoc egimus, ut  
elegantius quiddam, uulgo scholarum, quàm ut re-  
ctiora traderemus, falli enim, quibus persuasum est,  
nihil deesse scholis præter sermonis elegantiam,  
res ipsa palàm arguit. Hoc quicquid est ope-  
ris, nomini tuo nuncupamus, mi Iohannes,  
quos suauitate morum, ingenijq; dexteri-  
tate mirifice tibi deuinxisti. Vale,

Vittembergæ, Mense Mar-

tio, Anno Domini.

M. D. XX.



# DE RATIO

## NE DISSERENDI.



**D**I ALECTICE ARS  
est, cū uocū definiendarū &  
diuidendarū, ut quid quæq;  
uox proprie significet, &  
quā late pateat, seu quid  
quæq; res sit, quas habeat  
partes, clare perspiciamus,  
tum colligendi alias sententias ex alijs.

Non dissimilis mihi ars scientiæ numerorum uide-  
tur, ita enim in explicandis obscurioribus causis,  
dum nudas res nobis ob oculos ponit, tanq̄ numerans,  
recenset causæ partes, & supputat ex quibus fonti-  
bus manent, & quomodo omnia quæ in controuersi-  
am ueniunt, consentiant ac cohæreant inter se: quæ  
qui non animaduertunt, eos necesse est sæpe turpiter  
falli & hallucinari.

Fortunæ nomen, uulgus nunq̄ non in ore habet.  
Quod si interrogas quid ita uocent, alius aliud respon-  
debit, sed Dialecticæ periti, causas fortunæ colligent,  
& diserte rem ostendēt. Est enim euentū nullo nostro



## C O M P E N D I V M

cōsilio, sed diuino gubernari, quemadmodū & Quid-  
 descripsit: Ludit in humanis diuina potētia rebus. Nā  
 ludendi uerbo significat, euentum nostra consilia falle-  
 re, deinde Deum facit autorem & gubernatorem  
 euentus. Vulgatum est & hoc: Magistratus esse ho-  
 nore afficiendos, quod indocti sic accipiunt, ut sen-  
 tiant titulos illis splendidiores tribuendos esse, sed si  
 definias nomen honoris, intelliges exigi, ut tribuamus  
 illis laudem prudentiæ ac iusticiæ, illorum iudicia no-  
 stris præferamus, etiam secus facta commode interpre-  
 temur, & obsequamur, tum etiam cum uidentur er-  
 rasse. Magnum quiddam exigitur in hoc præcepto cū  
 iudicia illorum iubemur nostris anteferre, nam faci-  
 le est alijs de pecunia, de possessione patrij agelli, ut  
 aiunt, concedere, de iudicio concedere difficillimum  
 est, sicut ille dixit: Aurum & opes & uasa frequēs  
 donauit amicus. Qui uolet ingenio cedere nullus erit.  
 Cum ad hunc modum ad Dialecticē exigitur res, na-  
 tura eius penitus peruidetur, ut eleganter Plato scri-  
 ptum reliquerit, Dialecticē oculos humanos, in bar-  
 baricum cœnum infossos sensim tollere & abstergere,  
 ut in iudicando acutius uideant: & quidem ita antepo-  
 nit omnibus artibus alijs Plato hanc, ut alias neget in-  
 tueri res ipsas, sed somniare de rebus, hanc unam di-  
 cab



## D I A L E C T I C E S

cat uidere, ut ipsius uerbo utamur ὁ παρ, nam hæc una id, quod in quaq; re certissimum est, demonstrat, & nos tanquam in rem præsentem ducit.

### D E N O M I N E D I A lectices.

Verbum διαλέγομαι non modo colloqui significat, & cum alio aliqua de re conferre, qua significatione comuniter à Græcis usurpatur, & inde διάλογος colloquium fit, sed etiam adposite de proposita questione, & ut Græci διδόντως dicere, eamq; perspicue explicare. Ideo latini uerterunt διαλέγεσθαι differere, significat enim differere, ordine & distinde aliquid explicare: Socrates enim in Gorgia, cum dicit Polum Rhetoricam callere, negat tamen eum idoneum esse πρὸς τὸ διαλέγεσθαι, hoc est, ad breuiter & adposite respondendum, si quid interrogetur. Proinde Dialectice artem significat, adposite de rebus omnibus respondendi, & proponendi, si qua uidentur excutienda, & sicut Plato ait δὲ νόμιμα ἢ ἀποδείξεσθαι λόγους, deniq; ordine & perspicue docendi scientiam. Nam imperiti Dialectices, nihil ordine docere possunt, & in obscuris disputationibus ac controuersijs uix unq̄ interrogati cōmode respondent, sed plerunq; quemadmodum est in Prouerbio, de alijs interrogati, de cepis respondent.



# C O M P E N D I V M

## D I A L E C T I C E S O F F I C I A .

Sunt itaq; Dialectices officia, Definire, Diuidere, Colligere seu ratiocinari, quæ quorsum pertineant aut quam adferant utilitatem tractanti, postea cognoscetur ex præceptis, nam latius utilitas huius artis opinione imperitorum patet, id in tractandis, paulo obscurioribus causis comperimus, quæ nisi hac adhibita arte, lumen accipere non possunt, ideoq; Dialecticis libris Aristoteles organi nomen fecit, quod instrumentum esset omnibus de rebus rite & ordine dicendi. Nobis pueris obscure tradebantur Dialectica in scholis, nec serè quisq; ex præceptoribus, artis uim intelligebat: id inde accidit, quia nullum styli usum habebant, nam præceptiones sine usu, non possunt satis intelligi. Proinde ita demum Dialecticem recte discitis, cum adhibueritis usum scribendi, & accuratius de causis obscurioribus disputandi, nam stylus præceptis lucem adfert. Ego præceptiones simpliciter & quod aiunt, Πinguī Minerua, tradam. Video enim hanc artem antea, dum scriptores nimium student argutijs & ad uiuum omnia resecant, obscuratam esse, placet id quod præceperunt, ut doceamus ἀμαδίσεσθον καὶ οὐκ ἐπέσεσθον. Et ars ipsa domi nobis & in animis nostris nata, sicut numerandi scientia plana & facilis est. Est enim naturalis quædam uis, qua peruicimus rerum inter se ordinem.



## DIALECTICES

### QVID INTERSIT INTER

Dialecticē & Rhetoricē.

Inter Dialecticē & Rhetoricē hoc interest, nō enim libet ἀπὸ τῶν ὀσ discernere, quod Dialecticē nudam causam breuibus uerbis, & tanq̄ punctis designat. Rhetorica addit elocutionem inuentis à Dialectica, & uelut ornamentis uerborum & sententiarum uestit. Hæc in omnibus negocijs, tanq̄ primas lineas causæ ducit, sed Rhetorica addit uiuos colores. Est enim elocutio propria rhetorices, nec in perplexis negocijs, uidebit quispiam causæ statum, & quæ πρὸς ἑστὸν obiter addiderit Rhetorica, nisi Dialecticē peritus. In Miloniana causâ, hoc Syllogismo Cicero usus est, Vim ui repellere licet, Milo uim ui à capite suo depulit, ergo Clodium iure occidit. Hæc quomodo cohæreant tum demum rectius perspicui poterit, cū erunt ad hunc modum, breuiter in animum inclusa, cunq̄; principalia argumenti membra nuda cōtemplabimur. Sed est uidere apud Cice. quæ lumina uerborum addiderit huic Syllogismo, ut altius eum infingeret iudicum animis, dum in eo tractando cōmoratur. Alicubi ita colligit Demosthenes: Imperia scelere & fraude parta, non sunt diuturna, Philippi imperium non est iure partum, ergo non erit diuturnum. Sed nisi pluribus uerbis ornaretur res ipsa, tantum procul

Ad 5



## COMPENDIUM

ostensa, non satis intelligeretur, & sepe leuius iusto uideretur argumentum. Addita ergo hic est similitudo: sicut domus & nauigij & similium, fundamenta, firma esse oportet, ita actionum initia causasq; iustas esse conuenit. Extat inter Psalmos Encomiū Concordiæ, ubi Dialecticus simpliciter dixisset: Concordiam utilem esse hominibus, quia Deus iuuat concordēs, sed addidit Propheta similitudinem de Balsamo & rore. Ita Dialectica excerpit ex oratione lōga, summam argumenti, & ornamenta detrahit, ut intueri nudam rem propius possit, & expendere, utrum recte inter se omnia cohæreant.

### DE QUESTIONIBVS.

Cum Dialectica uiam ac rationem tradat, explicandi obscuras causas, principio in omnibus negocijs considerandum est, utrum de una uoce litigetur, an de integra oratione. Est autem à Grammaticis petendum, quid sit integra oratio: nempe quæ certam sententiam nomine & uerbo effert. Hic de una uoce quæritur, cum disputatur quid sit religio, quid fortuna, quas habeat partes religio. Porro ad simplices uoces explicandas, duæ Dialecticæ partes comparatæ sunt, formulæ Definitionum ac Diuisionū: id monendi sunt pueri, ut cum aliqua de uoce controuersia oriatur, statim recurrant ad formulas Definitionum ac Diuisionum



## D I A L E C T I C E S

uisionum, tanq̄ ad sacram ancoram, ubi rationem inuenient excutiendi uocabuli. Sed paulo post exempla huius rei proponemus, hic uero de oratione litigatur: Sit ne piū bellare: Iure ne Brutus & Cassius Caesarem occiderint: Possint ne uires humanae per se se prauas cupiditates exuere. Tertia Dialecticæ pars, uidelicet, formulæ colligēdi, ad excutiendum hoc genus questionum pertinet.

### D E D E F I N I T I O N E .

Ita sunt inter se cognatæ artes, ut subinde quiddam mutuentur aliæ ab alijs, Dialectica enim mutuatur proprium sermonem à Grammatica, propterea initio disputationis præstandum est, ne qua uox ambigua aut πολύσημος, negocium faciat concertantibus de rebus. Sæpenumero aut fit, ut de uerbis tantum, non de rebus, etiam acuti homines inter se dissentiant, ut Stoici uerbis dissentiebant à Peripateticis, cum προηγεμένα contenderent adpellanda esse quædam, quæ bona uocabant Peripatetici. Fecerunt igitur Dialectici duo genera definitionum. Primum genus, definitio nominis est, ea simpliciter est Etymologia uocabuli, seu enarratio qualiscunq; , quæ de uoce constituimus, qua significatione uti uelimus: ut cum paciscimur quid sacerdotem uocare uelimus, Diaconum ne, seu Oeconomum Ecclesiæ, seu cum



## COMPENDIUM

qui ius habeat placandi Dei, rogandi aliquid. Sic cū de Christiana iusticia disputo, constituendum est initio, quæ uerbi uis sit, nam iusticiæ nomen latius patet in Sacris literis, quàm in ciuilibus legibus, & pro religionis nomine seu pietatis usurpatur. Sic ubi disputabis de psychico homine, excutienda est uerbi uis, significat enim uires naturales hominis. Sæpe utuntur Sacre Literæ nomine benedictionis: est ergo uis uerbi explicanda cum in disputationē incidit, significat enim benedicere, fauere, iuuare, fortunare, ut in encomio concordia, ibi, mandauit Deus benedictionem, id est, concordem iuuat Deus, fortunat eorum consilia & actiones. In hunc usum præceperunt de definitione nominis, ne sermonis uitio disputatio obseuretur. Ad hanc rem utilis est cognitio phrasium earum linguarum ex quibus controuersia nascuntur, & tanquam pacisci inter se, ij qui de serijs rebus dissentiunt, ante debent, quomodo uerbis uti uelint, alioqui fit in grauissimis negocijs, ut alter alterum ludificetur ἀμολία uerbi. Sic pelagius imponebat aduersarijs cum gratiæ nomine uarie uteretur.

### DEFINITIO REI.

Cum de nomine conuenit traduntur de rei definitiones. Est autem rei definitio, oratio, quæ rei partes aut causas, aut accidentia exponit: postq̄ enim  
conue



## DIALECTICES

conuenit adpellatione psychici hominis, uenire hominis uires naturales, iam percensenda sunt uires naturales, ratio, sensus & reliquæ his inferiores, et quid quæq; efficiat exponendum. Sunt autem multæ formulæ definitionum huius generis, quas paulo post enumerabimus, nunc quia sermone res explicantur, & plerunq; uerbis communioribus angustiora uocabula declarantur, initio artis uocum ordines tradendi sunt.

### DE QVINQVE

uocibus.

Gradus quosdam uocū Dialectici fecerunt, quibus discerni possent communiora uocabula ab angustioribus: id eò pertinet, ut signate & perspicue res esse ramus, infeliciter enim docent, qui in definiendo uerbis utuntur, non satis adpositis ad rem. Ut cum definiunt hominem bipes animal esse, cum sint & gallinæ bipedes, ridicula definitio est, & quod aiunt, ὁ δὲ ἄνθρωπος περὶ ἄνθρωπος. Porro gradus uocum sic uocarunt.

GENVS

SPECIEM

DIFFERENTIAM

PROPRIVM &

ACCIDENS.

Hæc tum uniuersalia appellant, id est, communia nomina; tum prædicabilia, id est, uoces quæ



## COMPENDIUM

Alijs uocibus explicandis attribuuntur, ut, si quis dicat concubinam esse uxorem, ibi uxor alterius uocabuli naturam exponens, prædicari de eo dicitur. Nos sic numerabimus: primus uocum gradus est, ut ab infimis, & tanq̄ ἀπὸ γράμματος ordiamur,

## INDIVIDUUM.

Individuum, sic appellant id, quod Grammatici Proprium nomen dicunt, unius tantum rei adpellationem, nã aut uni rei, una aliqua est adpellatio, ut Bucephalas: aut ita circumscribimus, ut perspicuum fiat non significari multa, ut Cherilus Poëta apud Alexandrum.

## DE SPECIE.

Ab indiuiduis proxime colligit mens unam quandã formam illis cõmunem, ut cum uideris multos equos, circumfers animo impressam imaginem equi, & tanq̄ pictum simulacrum, ut ubiq; gentiũ agnoscas equũ, eam imaginem Dialectici speciem adpellant, nam in sermone, ut res, quæ alioqui in infinitum patebant, in summã contraherentur, huiusmodi formæ, sua nomina habent.

## QV ID SPECIES.

Est itaq; species nomen comune proximum indiuiduis, ut si quæras quid sit Bucephalas, respondebitur, equus, nam comunibus uocabulis angustiora declarantur,



## DIALECTICES

vantur, uerum proximis tamen utendum erit. Plato uocauit ideas planè quæ Aristoteles εἰδῆ adpellat: ut architectus habet in animo imaginem domus inclusam, quam in edificando imitatur: pictor speciẽ mulieris eximiam, ad quam in Helena pingenda manum dirigit. Sunt autem hæ formæ, non ut quondã in scholis inepti quidam docuerunt, res extra intellectiõẽ, sed cogitationes quæ informant eiusmodi simulachrũ.

### DE GENERE.

Genus est nomen commune multis speciebus, ut animal homini, equo leoni, Vxor matrifamilias, & concubinae. Nam si quæras quid sit leo, respondebitur animal. Si quæras quid sit Narcissus, respondebitur flos, nam quæstio Quid sit, ad Genus & Speciem pertinet.

### DE DIFFERENTIA

Differentia est nomen, quod cum genere certam speciem constituit, seu quod species eiusdem generis discernit, ut homo est animal habens mentem, ibi, mentem habens, separat hominem à reliquis animalibus.

### DE PROPRIO.

Proprium est quod competit uni speciei tantum, idq; uniuersæ, ut loqui, numerare, canere, pudere, cõpetunt homini tantum: idq; ita, ut omnes homines sint.



## C O M P E N D I V M

idonei ad loquendum, canendum. In scholis docuerunt differentias partem rei significare, ut mentem habere, nam mens pars est hominis. Proprium uero certum officium speciei, ut numerare, sed quia ferè ubiq; differentias rerum per officia, aut accidentia, μετὰ τὴν οὐσίαν circūloquimur, nos propriū, quod uocant, non separabimus à differentia & eundem gradum uocum faciemus, nam & Aristoteles in Topi-  
picis, propriij nomine, differentiam complexus est.

Materfamilias uxor est, bonorum socia. Concubina uxor est, quæ non uenit in societatem bonorum. Hoc loco societatem bonorum differētiam uocabimus. Item, Rex est magistratus qui unus rerum potitur, & ex certis legibus Remp. administrat. Genus in hac definitione, Magistratus est: Vnum potiri, rerum differentia est, quæ regem ab alijs speciebus magistratuū separat: Administrare Remp. ex certis legibus, differentia est, separans regem à tyranno. Proinde differentiam uocabimus, quod quoquo modo speciem à reliquis speciebus diserte separat.

### A C C I D E N S.

Accidens est nomen significans quiddā, quod tum adesse, tum detrahi alteri potest, ut calor aquæ uel adesse potest, uel deesse: quanq̄ autem sæpe accidentia ita hæreāt in substantijs, ut re ipsa nunq̄ separētur,  
ut in



## D I A L E C T I C E S

ut in igni calor, in Cycno albedo, in coruo nigredo: tamen ratio separat, & peruidet non esse substantiæ partes calorem, album, nigrum cum alijs corporibus aliàs adsint, aliàs adimantur.

### R E G V L A E .

Iam hoc uidendum est, quæ utilitas colligenda sit, ex his uocum gradibus: illa uero offeret se paulo post in definiendo. Sed interea hoc animaduertendum est, Genus, Speciem, Differentiam, seu Proprium, esse cognata, ut necessario cohereant, ut homo est animal. Homo est animal mentem habens. Homo est animal quod loqui, numerare potest, quæ omnia ita sunt connexa, ut diuelli non possint. Et ut paulo post docebimus, ex genere, specie & differentia, seu proprio, conficiuntur necessaria pronuntiata, sed accidēs non necessario cum alijs coheret, ut Phalaris est tyrannus. Cæsar moderate utitur uictoria. Quanquā enim accidentia sepe ita comitentur res, ut diuelli ab illis non possint, sicut umbra corpus comitatur, tamen ut corpus aliud quiddam est, aliud umbra, ita aliud accidentia sunt, aliud substantiæ. Et in longis controuersijs diligenter consyderandum est, quid ad rei naturam, de qua differitur, proprie pertineat, quid extra causam dicatur: ut cum de uoluntatis humanæ uiribus disputatur, id quæritur, utrum humanis ui-



## C O M P E N D I V M

ribus possimus Deum amare, metuere, sperare alia  
quid à Deo, eijcere ex animo prauas cupiditates. Ex  
tra causam quærentur illa, utrum nostris uiribus Au  
xixò agantur, edamus, bibamus, geramus res ci  
uiles. Sed hæc satis est monuisse.

### D E P R A E D I C A M E N T I S .

Prædicamenta sunt, certi quidam ordines seu uo  
cum, seu rerum, quos nos, tanq̃ in tabulis spectādos,  
proponemus: estq; hæc supellex definitionum, nam  
inde uelut ex penu, mutuamur definitiones, quæcūq;  
uox inciderit, de cuius natura dubitatur: prudēter au  
tem & res omnes & uocabula omnia in hos ordines  
docti homines distribuerunt, & à substantijs acciden  
tia separarunt, & classes quasdam rerum fecerunt,  
ut uniuersæ naturæ ordinem in animo concipere pos  
sent, & dicturi quacūq; de re in promptu haberēt,  
definitiones, & statim in his tabulis cernerent, quid  
singulis rebus cognatum sit, quid dissimile nomen.

### Κατηγορίαι

Significat prædicationem, quam ita uocauit Ari  
stoteles, cum alteri aliquid tribuitur, ut cum dico  
Cæsar est clemens, tribuo clementiam Cæsari, nam  
in his tabulis uocum, est cernere, quæ uox, cui recte  
tribuatur, cum qua cognata sit. Est autem Archita  
autor eius libri prædicamentorum, qui inter Aristote



## D I A L E C T I C Ē S

licos extat, & fecit ipse operi titulū *περὶ τῶν καθόλου λόγων* quod hinc oibus de rebus oratio petatur.

Simplicius Aristotelē scribit, primū *κατηγορίας* adpellasse decem illa capita uocū: Substantiā, Quantitatem, Qualitatem, *πρός τι*, Vbi, Quando, Situm, Habitum, Actionem, Passionem.

Quintilianus fecit hęc formas statuū, sentit enim per omnia prædicamenta, quæcunq; res proposita fuerit, eundum esse: ut si de uirtute dicendum sit, primum substantiam excutiendam esse, quid sit uirtus. Deinde quantitatem, quanta sit, seu quas partes habeat. Tertio qualis sit, *ἕξις* ne sit. Quarto utilis ne sit. Quinto ubi sit, in animo ne. Sexto quando, in quam ætatem cadat. Postremo quid agat, seu efficiat. Sic illi sine discrimine, singulæ uoces per omnes *κατηγορίας* errabunt. Nos malumus communem consuetudinem scholarum sequi, & singulis *κατηγορίας*, singulos ordines uocum assignare, & tāquam cuiq; uoci certum domicilium tradere, & non modo uocabula, sed rerum naturas discernere, & cogitatione substantias ab accidentibus, accidentia à se mutuo diuellere. Porro quam utilitatem adferat prædicamentorum cognitio, colligi potest ex his quæ diximus, suppeditant enim omnium uocum definitiones, sed cuiusq; uocis definitio ex suo ordine, uelut ex sua

De uniuersalibus sermonibus, id est, capitibus et fontibus omnis orationis.



## COMPENDIUM

ciuitate petenda est. Vocum alie significant substantiam, alie accidentia. Substantia est quæ fulcit & sustinet accidentia, ita ut plerisque uel abiectis uel mutatis, tamen non necesse sit eius naturam mutari, ut aqua manet, uel cum calet, uel cum friget: & ut substantia non exuat omnia accidentia quibus tecta latet, tamen ratione possunt ei detrahi. Verū ut cognosci substantiæ possint, in tabula spectandas proponemus, & à summo genere, duce mus omnes eius species.



SUBSTANTIA

CORPOREA

*simplex*

*Cœlum*

*Elementa Ignis*

*Aër, Aqua, Terra*

*Fumi*

*Fulmi*

*na*

INANIMATA

*Metalla*

*ex sulfure,*

*quod ex*

*pingui aëre*

*fit: & ar*

*gento uiuo,*

*quod ex*

*subtili terra &*

*aqua concretum est,*

*nascuntur*

MIXTA EX

*elementis*

*Lapides*

*Vitrum*

*Gemmae*

*Adamas*

*Hyacinthus*

INCORPOREA

*Deus, Angeli*

*Anima*

ANIMATA

*NON sentiens*

*Plantæ, & contraria nomi*

*na, mortuus, truncus*

*Herbæ, Narcissus*

*Arbores, Frutices*

SENTIENS

*Rationale*

*hic homo, Plato*

*Irrationale*

*Leo, Asinus*

*Huc & partes substantiarum re  
ferendæ sunt, pes, manus, caput.*



## C O M P E N D I V M

Hic est ordo substantiarum, unde cum incidit aliqua de substantia disputatio, definitio colligenda est. Nos differentias specierum infimarum non adposuimus, quod eas ferè per accidentia circūloquamur, ut, ignis est corpus simplex, calidum & siccum. Aër est corpus simplex, calidum & humidum. Adamas est gemma candida, pellucens, tanta duritie, ut scindat alias gemmas.

Si de anima quæras, uides nos posuisse inter substantias incorporeas. Anima est substantia incorporea, pars substantiæ hominis, nos peculiarem substantiam & separabilem à corpore fecimus. Virgilius sensit esse uitales spiritus, qui sunt in sanguine: Purpuream uomit ille animam. Idem senserunt qui animam ignem esse dixerunt, Virgilius: Igneus est illis uigor, nam uitales spiritus sunt calidi & humidi: & qui Harmoniam esse uoluerunt, qualitatum temperaturam animam uocarunt.

Reliqui ordines accidentium sunt, quæ quia cogitatione diuulsimus à substantijs, per se iam nobis consideranda sunt, sine subiectis, in quibus hærent. Fit enim sæpe, ut de accidente aliquo, sine persona dicatur, ut cum de uirtute disputant, & eius naturam, ac dignitatem exponunt, sine personæ alicuius mentione. Sunt autem monendi pueri, duplicia nomina  
ab acci



## DIALECTICES

ab accidentibus nasci, Substantiua & Adiectiua: Substantiua nudas formas significant, sine subiecto, ut, albedo, poëtica, lex: & his utimur in his ordinibus: nam accidentia detracta substantijs, per sese consyderamus. Adiectiua nomina formas cum subiectis significant, ut albus paries, sic & Poëta.

### Q V A N T I T A S.

Quantitas primum locum habet inter accidentia. Tribuit Aristoteles quantitatem omnibus ijs quæ diuidi possunt, & scribit proprium eius esse diuidi, idq; à quantitate, tum substantiã, tũ qualitã mutuari. Proinde ita definiemus quantitã esse, quæ proprie diuiditur, sicut magnitudo in spacia, numerus in unitates.

Fecerunt duplicem quantitatem, Continuum & Discretam. Continua est, cum quærimus quanta res sit. Discreta, cum quærimus quot sint.

### C O N T I N U A E S P E C I E S

Linea, est longitudo sine latitudine, & profunditate: quanq; enim separari hæc non possint, tamẽ lineã uocamus, cum solam longitudinem concipimus.

Superficies, est latitudo sine profunditate: sicut enim ab unitate numerus oritur, sic à puncto linea, à linea superficies & linea clauditur.

Corpus, est longitudo, cum latitudine & profunditate. Nomen corporis animaduertant pueri, hic solã.



## COMPENDIUM

magnitudinem significare, cogitatione separatã à subiecto, quemadmodum uocant corpus Mathematici, qui non de substantia, sed de magnitudine dimetienda loquuntur.

Discretæ species, numerus est, addiderunt & orationem, cuius natura non est absimilis numero: sed ut in omni uita præceptum, ne quid nimis, seruari iubent, ita in docendo maxime mihi uidetur præstandum, ne artes obscurentur, nimio studio argutiarum. Itaq; hanc de oratione disputationẽ relinquo, & orationem uoci, paulo post subiiciam, crasse forsitan, sed ego pingui Minerua cupio διαλεκτικὴν tradi. Non late patet in ciuilibus disputationibus huius usus prædicamenti, itaq; hic non commemorabimur diutius.

## DE QUALITATE

Qualitates sunt formæ omnes, quæ sensibus subiectæ sunt, præter quantitatem. Sed aliquanto latius patet qualitas, quam ut hæc puerilis definitio, quã modo tradidimus, satis sit.

Sunt autem qualitates ferè instrumenta actionum, seu uires, quibus in agendo utuntur, uel corpora, ut calore agit ignis, uel animus, ut per Rhetoricam perspicue dicitur, per iusticiam recte decernitur. Ma-

gnus



## DIALECTICES

gnus huius prædicamenti usus est, in omnibus causis  
& crebro hinc petuntur definitiones, quare & nos  
locupletiores ordines hic instruemus.

Primam speciem qualitatis, fecit Aristoteles  $\xi\iota\upsilon$ ,  
quod habitum Cicero, Pontanus habilitatem, maluit,  
nam & Virgilius uidetur  $\xi\iota\upsilon$  definiisse cum ait. Et  
membris habilis uenit uigor.

### Q V I D $\xi\iota\upsilon$

Est autem  $\xi\iota\upsilon$  qualitas, uel animi uel corporis,  
consuetudine agendi parta, qua facilius & certius ali  
quid agamus, sicut palestrica corporis  $\xi\iota\upsilon$  est, qua  
ictum regit, et certius ferit. Ars pingendi est  $\xi\iota\upsilon$ , qua  
manus adsuefacta est, ut certius pingat. Diximus au  
tem  $\xi\iota\upsilon$  consuetudine agendi effici. Sed necesse est  
in natura instrumenta actionum inesse, quomodo  
enim pingat cæcus, aut aliquis truncatus manibus:  
Item in plerisque, non sola exercitatione & communi  
bus instrumentis, sed etiam singulari quodam naturæ  
impetu nascuntur  $\xi\iota\upsilon$ , ut in uirtutibus heroicis: ut in  
magno imperatore fortitudo heroica, hoc est, præsen  
tia animi in summo discrimine. Poëtica in bonis Poë  
tis ad eundem modum, singulari quodam naturæ im  
petu constat, ad quem tamen accedere exercitationē  
oportet: is impetus recte & adpellatur, & est singu



## C O M P E N D I U M

laris quidam diuinus motus, quo excitatur ad agendum animus, & efficitur  $\xi\iota\varsigma$ .

Dixi quid sit  $\xi\iota\varsigma$ , nunc species recitabimus, quarum definitiones, quia saepe cadunt in ciuiles causas diligenter sunt obseruandae: uides hinc Ciceronem mutatum esse definitiones pro Archia, cum sic colligit, Poetas esse honore afficiendos, ergo retinendum esse in urbe Archiam. Antecedens ex definitione artis probat: Poetam natura ualere, & mentis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari &c.

Quemadmodum supra monuimus substantiam deprehendi ex accidentibus, nam malum ab absynthio figura & sapore discernimus, ita rursus accidentia discernuntur per subiectum, ita mutuas operas tradunt inter se substantiae & accidentia. Est itaq; obseruandum in definiendis accidentibus, in qua re singula haerere possint, hinc enim differentiae accidentium petuntur. Adparet enim, alia propria corporum esse, ut colorem, alia propria animi, ut religionem. Colligemus itaq; species habitus.

Sunt itaq; habitus alij animi, alij corporis. Eorum qui in animo haerent, alij ad intellectum pertinent, ut artes, seu scientiae & prudentia: est enim ars cognitio rei, longo usu confirmata: sicut enim lana saepe tincta nouo colore inficitur, ita mens saepe eadem de re cogitans



## DIALECTICES

cogitans, induit rei cognitionem, tanq̄ colorem, est enim ars uelut color quidam mentis: seu ut in ceram signa imprimimus, ita menti rerum simulacra imprimuntur. Hinc mutuatus est uetus Poëta uersiculum: Sophian me Graij uocant, Latini sapientiã, Usus me genuit pater, mater peperit memoria, & Ouidius. Solus & artifices qui facit usus erit. Animaduenterunt enim tum demum artem effici, cum idem sepe cogitasset, seu cum longa consuetudine alte in animum, rei uestigia impressa essent.

## ARTES

Grammatica

Dialectica

Rhetorica

Mathematica.

Quærat aliquis unde differentia harum artium petantur. Respondeo, ab officijs esse petendas, sicut plerunq; accidentium. Rhetoricæ proprium officium est elocutio. Dialecticæ proprium, iudicare recte ne cohæreant argumenta. Arithmeticæ numerare. Geometriæ metiri magnitudines. Prudentia est habitus qui secundū rectam rationem deliberat de actionibus, sicut ille ait: Tanto me impensius æquum est consulere, atq; omnes metuentem expendere casus, quasi dicat, quia tu adfectibus indulges, qui cum recta ra-



## C O M P E N D I U M

tionem & consilio pugnāt, me consulere oportet, secundum rectam rationem, ea prudentia est. Recta ratio, est cognitio tum earum sententiarum, quæ natura sunt omnium animis inscriptæ, ut

Neminem esse lædendum

Gratiam esse reddendam benemeritis

Obtemperandum esse magistratibus & parētibus.

Sicut enim oculi naturaliter uident, ita mens natura sic sentit. Tum cognitio est, recta ratio aliarū legū.

### A D V O L V N T A T E M

pertinent uirtutes.

VIRTUS est habitus, qui incitat ad agendum secundum rectam rationem.

IUSTICIA est uirtus, quæ suum cuiq; reddit. Sic enim & iureconsulti scripserunt, esse constantem & perpetuam uoluntatem, id est, tum usu confirmatum habitum: tum quæ imitetur certam quandam & immutabilem sententiam, natura hærentem in animis, suum cuiq; reddendum esse: ut enim Architectus scit domum semper ex fundamento, parietibus & tecto construendā esse, ita iusticia semper suum cuiq; reddi uult. Sed quemadmodum aræ ædiū uariæ sunt, ita casus uariat.

### IUSTICIAE SPECIES SVNT

PIETAS, qua ius suum cognatis, item magistratibus tribuimus, nempe honorem.



## D I A L E C T I C E S

**GRATI**tudo, qua reddimus pro officio officiū,  
**AMICITIA**, qua reddimus pro beneuolentia  
mutuam beneuolentiam. Cognata his Beneficentia  
est, qua gratis bene fit alijs. Quanquam enim priua-  
tim alicui non debeas calamitoso, tamen debes com-  
muni societati hominum, ut quos potes subleues.  
Sunt enim in uniuersa natura, sic omnia inter se deum  
eta, ut alia aliorum ope indigeant, iuxta illud,  $\chi\epsilon\iota\epsilon$   
 $\chi\epsilon\iota\ \rho\alpha\ \nu\acute{\iota}\ \pi\eta\epsilon\iota$ .

Inter iusticiæ species etiam **RELIGIONEM**  
numerant, est enim religio qua Deo reddimus id quod  
debemus, uidelicet timorem & fidutiam erga ipsum.

Sed obseruandum est hoc loco, non parari nostræ  
consuetudine religionem, sicut alios habitus, sed diuī-  
nitus effici in animis hominum, cum Deus incutit ani-  
mis terrorem, & cum exuscitat nos & erigit, ut fi-  
damus sua misericordia. Restant aliæ uirtutis species.

**FORTITUDO** uirtus est, qua uel aduersa repellimus,  
uel dolorē in perferendis aduersis moderamur, uel lætē-  
tiam in secundis rebus frenamus, ne quid turpiter aut  
dolore permoti, aut secundis rebus elati, faciamus,  
sicut Horatius dicit. *Aequam memento rebus in aspe-  
ris, Seruare mentem, non secus in bonis, ab insolenti  
temperatam lætitia.*

**MODE**stia est uirtus, quæ in nostra de nobis existi



## COMPENDIUM

matione, sermone, gestu, & uoluptatibus incitat nos  
ut naturæ & legibus obtemperemus. Has definitiones  
posuimus, ut ad earum exemplū, definirent studiosi  
reliquos habitus quos prætermittimus, nam persequi  
omnes species uirtutum, item uitia omnia, nā huc etiā  
uitia referenda sunt, nimis longum fuerit. Sed est ob  
seruandum hoc, quod supra diximus, quosdā habitus  
non tantum nostro Marte parari, sed eximias uirtutes  
aut artes diuinitus in nobis effici. Ut ingens robur ani  
mi & despicientia mortis, non tantum à nobis effici  
tur, sed naturalis quidam impetus, diuinitus affla  
tus animis nostris, parit eam fortitudinem. Sic & de  
poetica ille dixit: Impetus hic sacræ semina mētis habet

### SECUNDA QUALITATIS

species, Adfectus est.

Ut, dolet corpus cum uapulatur, sic animus dolet, cū  
obijcitur res, quam fugit.

Proinde adfectus animi est, fugere rem quam ra  
tio malam esse pronunciat: aut persequi rem, quam  
ratio pronunciat esse bonam. Ut enim corpus trudi  
tur, si quis impellat, sic truditur animus cum impel  
lunt ea, quæ offeruntur.

Sunt autem adfectus, aliās subiti quidam motus,  
ut ira, quos patiar inter actiones recenseri. Aliās  
diuturni, ut amor, odium, inuidia. Cum hærent in  
animo



## D I A L E C T I C E S

animo, tanq̄ inustum cauterium in corpore, hos si quis  
etiam habitus esse contenderit, nō ualde repugnabo.

### Q V A T V O R G E N E R A adfectuum.

Letitia, est præsens bonum complecti

Dolor, est præsens malum fugitare

Spes, est impendens bonum prosequi

Metus, impendens malum fugere

Hinc nascuntur & alij affectus: ira ex dolore ori-  
tur, est enim dolor coniunctus cū cupiditate puniēdi.

Odiū inueterata ira est.

Inuidia, odiū est cōceptū ex secūdis rebus alterius

Amor ex spe & letitia mixtus est, est enim uehe-  
menter concitari ad fruendum eare, quam duxeris  
esse bonam.

Huc reliquas species, si quis uolet, ex Rhetorū libris  
collectas ascribat, nobis satis est genera ostendisse.

Iam hoc obseruabis, autores in tractandis affecti-  
bus, non exilibus tantum definitionibus uti, sed saepe  
signa affectuum commemorare, ut Obstupui stete-  
runtq; comæ & uox faucibus hæsit. Sæpe accidentia  
unius affectus omnia colligere, ut Propertius cum  
pingit amorem.

Quicumq; ille fuit puerum qui pinxit amorem

Nonne putas miras hunc habuisse manus?



## C O M P E N D I U M

*Sepe ab instrumentis adfectuum definitiones mutantur, nam in corpore organa certa, seu sedes adfectuum sunt, quibus animus commotus utitur.*

*DE IRA. Ignescunt iræ & duris dolor ossibus ardet, significat enim Poëta biliosum sanguinem circa cor exæstuarè, quo corpus incenditur.*

*DE METU. Mihi frigidus horror, Membra quatit gelidusq; coit formidine sanguis. Nam in metu recurrit sanguis ad cor, ita fit, ut remotiora membra frigeant. De hoc genere definitionum infra dicemus, quæ profecto necessariae sunt, quia continent tum causas adfectuum, tum effectus. Nos supra definitiones adfectuum tantum ab obiectis quæ mouent animum, mutuati sumus,*

## D E T E R T I A S P E C I E

*Qualitatis.*

*TERTIA species qualitatis, continet quæ sensus proprie mouent, quas, quia accidentia mutantur differentias à substantijs, ita discernemus, ut singulis sensibus suam qualitatem assignemus.*

## V I S U M M O V E T C O L O R

*Color est qualitas quæ mouet oculos.*

## S P E C I E S C O L O R I S.

*Album*

*Huc lux seu lumen &*

*Nigrum*

*tenebræ pertinent.*

*Fuscum*



## D I A L E C T I C E S

*Fuscum* . *Andromede patriæ fusca colore sue*

*Ruffus* , *ruffum in personis dicimus* .

*Ruber* , *rubrum in rebus dicimus* .

*Fuluum* , *rotgoltfarb et leberfarb* , ut

*Fuluum aurum* . *Fuluus taurus* , apud *Horatium* .

*Virgilius* , & *fuluæ nimbus arenæ* .

*Flauum* *blaychgeel* , ut apud *Ouidium* .

*Flauaq;* *de uiridi stillabant ilice mella* . Item *Virgi-*

*lius* , *Flauaq;* *caput nectentur oliua* . Apud *Hora-*

*tium* , *Vidimus flauum Tyberim* . Apud *Lucanum* ,

*Flauos Aquilone sueuos* .

*Spadix* , *Castanien braun*

*Purpureus* seu *puniceus* , *duncfel rot* , ut *sammet* ,  
seu *braun* , ut apud *Horatium* , *Puniceis inuectarosis* .

*Luteus auroræ color* , *gel* , *luteola caltha* .

*Ferrugineus* , *eysenfarb*

*Gilvus* , *sal* , *Virgilius* . *Color deterrimus albis*

& *giluo* .

*Cæsius* , *grau* .

*Ceruleus* & *glaucus* , *grau* & *blaxe* , *lasur*

*Venetus* , *blau* , & *Thalassicus*

*Indicus* , *ex ceruleo* & *purpura mixtus*

*Viridis*

*Porraceus* & *περσικος*



# COMPENDIUM

Fiunt colorum nomina à materia, ut

Minium

Cerussa

Hyacinthinus

Item aliunde, ut

Croceus

AVDITVM mouet sonus, fit autem sonus duobus corporibus collisis:

Vox articulata, Oratio

SONVS

Vox inarticulata, pecudum

sonus, mugire, rudere.

OLFACTVM odor mouet.

GVSTVM Sapor, ut dulcis

Austerus

Stipticus

Calor

Frigus

TACTVM Humidum

mouet Siccum, & cognate qualitates

Molle

Durum

## DE RELATIVIS

Explicant & Grammatici relatiui nominis naturã  
quare



## D I A L E C T I C E S

quare id facile poterit cognosci, quæ nomina ad hunc ordinem pertineant.

Vocantur autem nomina superiorum classium, seu prædicamentorum absoluta, quia singula perfecte intelligi possunt, etiãsi non cõferas ad aliud, ut albedo.

RELATIVA uero ita dicuntur, quia non possunt sine collatione intelligi, ut similitudo intelligi nõ potest, nisi comparatione plurium rerum. Proinde Aristoteles hæc nomina  $\pi\epsilon\delta\varsigma$   $\eta$  adpellauit, quod semper ad aliquid referantur, nec sine absolutis concipi possint.

Primum hoc sciendum est, omnia nomina quæ in superiores classes referri non possunt, ad hunc ordinem pertinere.

Secundo. Relatiuum nomen significat collationem rerum inter se, quæ uel natura consentiunt, ut ignis calefaciens, & corpus recipiens calorem, uel tantum ratione conferuntur, ut sceptrum magistratum significant.

Tertio. Duæ res in omnibus relatiuis definiendis requirẽdæ sunt, quæ inter se conferantur, ut si patrẽ definias, requirenda substantia est quæ genuit, & is qui genitus est. Si fortunam definias, requirendus est gubernator, & causa euentus, scilicet Deus, &



## C O M P E N D I V M

ipse euentus . Sunt autem huiusmodi res ante simpliciter cognoscendæ , quàm conseras . Non enim potes statuere hunc patrem esse , illum filium , nisi prius ipsos homines noris . Nec potes scire quid fortuna sit , nisi scias ante euentus quosdam sine nostro consilio accidere & gubernari hæc mortalia diuinitus .

Quarto . Est autem facilis ratio definiendi nomina relatiua , & nõ tam Dialectica , quæ ἐτυμολογικὴ , ut pater est qui filium habet : filius qui patrem habet . Herus qui seruum habet , Seruus qui in heri potestate est . In huiusmodi definitionibus uides duo nomina sibi mutuo respondere , & se mutuo explicare : nam , ut duæ res conseruntur , ita & bina nomina proceduntur eius collationis : ut enim Gneius Pompeius pater , ad Sextum filium conseritur , ita rursus Sextus filius , ad patrem Gneium conserri potest , quemadmodum aliàs ascendere scalas , aliàs descendere de scalis solemus .

Proinde cum duplex collatio sit , bina nomina plerunq; fiunt quæ mutuo sese ostendunt . Aristoteles multum referre putauit , ut admoneret ad hunc modum mutuo sibi respondere relatiua : uident enim doctissimi uir , relatiua nomina non aliter solere definiri : eamq; ob causam & nos cupimus accurate obseruari , in omnibus relatiuis definiendis & explicandis : primum animo duas quasdam res requirendas esse , quæ conserantur ,



## D I A L E C T I C E S

rantur : deinde ex mutua collatione ferè bina nomina  
 procudi , quibus in definiendo utimur , hoc Aristote  
 les sic extulit , πέντα τὰ πρὸς τι πρὸς ἀντισηέ  
 φοντα λέγεται , id est, relatiua cōuerti , ita ut mu  
 tuo se definiant , ut magistratus est, qui certo iure ciui  
 tatem regit . Ciuitas est, quæ certo iure & magistrati  
 bus regitur .

Catalogus nominum relatiuorum conficiendus est,  
 in quo adparebit ex quibus fontibus omnia oriantur .  
 Ea res magnam utilitatem studiosis adferet, ad exacte  
 definienda nomina huius ordinis , quæ quia plurima  
 sunt , sepe fit eorum mentio, cum in causis ciuilibus,  
 tum in quotidiano sermone .

Fortunam quotusquisq; recte definit, at si hunc ca  
 talogum inspicias , exacta definitio se offeret .

Honorem uulgus esse ducit prædicari tātum à mul  
 titudine , nec unde oriatur honos , perspicit: at in hoc  
 catalogo uidebis honorem esse collationem nostri iu  
 dicij , cum alicuius meritis , aut uirtutibus , dum ali  
 cui uirtutem tribuimus . Huc respexit Cicero , cum ad  
 Plancum scripsit : Is qui ferè adpellari potest honos,  
 perpetuæ uirtutis est premium .

Ad hūc modum , naturas uocum relatiuarum mul  
 to rectius intelliget , & tractabit, is qui uiderit ex qui  
 bus fontibus deducantur .



C O M P E N D I V M  
C A T A L O G V S .

Ex substantia & qualitate plurimæ relationes oriuntur . Nos actionem seu motum primam speciem faciemus .

Actio, est relatio seu applicatio agētis, ad id quod patitur . Fit enim natura, ut cum admoueris igni materiam, ut concipiat materia calorem .

Motus, est coniunctio mouentis & eius quod mouetur .

Sub actione nomina hæc ponantur causa & effectus: item signa, nam sæpe controuerti solet, causa ne sit an signum, ut cum quæritur, sint ne eclipses cause malorum euentuum, an signa . Sic de astris disputatur, cause ne sint, an signa euentuum . Causa est quæ facit aliquid: causarum aliæ natura agunt, id est, sine deliberatione, ut solis lumen natura calefacit corpora: aliæ agunt consilio, ut faber ædificans domum . Ad hanc speciem causarum & fortuna pertinet, est enim fortuna cum non nostro, sed diuino consilio euentus gubernatur .

Substantiarum proprii motus sunt .

Gignere

Corrumpere

Alere

Inde fiunt nomina, Pater, Filius .



## DIALECTICES

Huc omnes sensuum actiones pertinent, *Videre*,  
*Audire*, *Legere*, *Olfacere*, *Gustare*, *Cupere*, *Ex-*  
*candescere*: & *motus localis*, nam ire est corpus alio  
subinde spacio sistere.

Et ex actionibus substantiarum facta nomina con-  
tractus, quem definiunt esse ultro citroq; obligatio-  
nem, oritur enim ex humanis actionibus, nempe,  
ex consentientibus inter se uoluntatibus.

*Coniugium*

*Maritus*

*Vxor*

*Familia*

*Ciuitas*

*Magistratus*, & *uerbaregere*, *cohercere*

*Personæ*

*Dominus*

*Seruus*

*Motus proprii qualitatis*.

*Calefacere*    *Frigefacere*

*Humectare*    *Desiccare*

*Mollire*        *Durare*

*Sed ex qualitatibus innumeræ relationes fiunt.*

*Similitudo*    *Dissimilitudo*

*Bonum*, quod naturæ conuenit

*Honestum*, quod propter sese ratio ducit esse expe-

Cc iiij



C O M P E N D I U M

tendum utile quod propter aliud ratio quærit, suave quod delectationem in sensu, aut lætitiã in animo excitat.

Malum quod lædit naturam

Ex uirtutibus. Præmium, Gloria, Honos, est tribuere alteri uirtutem.

Ex uitijs. Pœna, Dedecus.

Ex prudentia. Lex, quod non ideo relatiuum est, quia sententia de moribus non ante lex fit, nisi cum magistratus edixerit, alioqui sententia nomen absolutum est, & ad qualitatem pertinet, sicut prudẽtia.

Ex amicitia. Pax, Bellum.

Ex qualitatibus corporis, sanum, est iusta temperatura qualitatum inter se. Aegrum, est temperaturã qualitatum esse perturbatam. Huc morborum nomina referri possunt. κόρυζα est destillatio crudi humoris & non percocti per nares. βράγχος est destillatio in fauces. κατὰ στήθος uel κατὰ πρῶτον est destillatio in pulmonem &c.

Ex quantitatibus fiunt,

Aequale      inæqualæ

Maius      minus

Continens      contentum

Locus. est enim locus nihil aliud nisi spaciũ cessisse alteri corpori. Stare, Sedere, Sursum, Deorsum, quæ sunt loci differentiæ.



## DIALECTICES

Ex numeris . Par , Impar

Duplum , Triplum , Proportio

Prius , Posterius . Et tempus , quod nomen significat , uel durationem motus , uel partes motus , prius ac posterius , sic enim definierunt . Tempus esse mensuram motus .

Figure corporum à quibusdam etiam inter relationes ponuntur , ut circulus , Triangulum , Quadrangulum , Mensa , Domus , quia non aliud uideantur esse figure , quàm magnitudo ipsa , breuius aut longius tracta . Aristoteles posuit inter qualitates , cuius si quis uolet sententiam potius sequi , non reprehendã .

### DE VSU PRÆDICAMENTORUM .

amentorum .

Tametsi supra monuimus , quo consilio ueteres omnium rerum nomina , in has classes seu ordines distribuerint , tamen hic , postquàm recensuimus prædicamēta , idem redigere in memoriam lectori uisum est , ut sciat quam utilitatē petere debeat ex hac parte Dialectices

Ideo hæ nominum classes factæ sunt , ut cum definire uoles , scias , singularum uocum genera , ubi inuenias : plerunq; etiam generi uides adscriptas , differentias , quæ tamen cum non sunt adscriptæ , ex accidentibus colligi solent : nam ut supra docui , rerum differentias nos sæpe per accidentia circumloqui . Proinde cū



## C O M P E N D I U M

uocis alicuius definitionem uoles contexere, ad hos ordines, uelut ad penam recurrentium, unde materiam depromas.

Ita conducunt hi ordines ad definiendum, sed & aliam utilitatem adferunt, ad inuenienda argumenta, ad Theses & Hypotheses tractandas, de qua utilitate infra dicemus in Topicis.

### D E D E F I N I T I O N I B U S

Quid sit definitio rei supra exposui. Nunc hoc docendi sunt pueri, in definiendo præstandum esse, ut definitio ita fiat, ne aut latius pateat, aut sit angustior, quam definitum. Non recte definias, Philosophia est humanarum & diuinarum rerum scientia, nam Philosophia, quæ sic proprie adpellatur, nihil certi docet de diuina uoluntate erga nos, de prouidentia diuina in administrandis rebus, de immortalitate animi: quare definitio latius patet, quam definitum. Item si de seditione dicas, & tantum ibi exponas quam mala res sit bellum, non recte definias, nam seditio non est simplex bellum, sed est bellum, seu uis ciuium inter sese, contra magistratus.

Si pietatem definias tantum esse fidutiam in Deum, latius patebit definitum, nam pietas simul & timorem & fidutiam cõplectitur. Sunt igitur docendi pueri, ut in definiendo hanc cautionem adhibeant, ne definitio latius pateat.



# DI ALECTICES

## SUNT AVTEM CAUSSAE

Quatuor.

Materia, ex qua res fit, ut pannus.

Forma, est quam induit materia, ut tunica ex panno facta, forma est.

Efficiens, persona seu res faciens, ut sartor uestem faciens.

Finis, est gratia cuius aliquid fit, ut uestis fit tegendi corporis causa.

Licet autem uel ex omnibus causis, uel aliquibus componere definitiones, ut zythum est potus ex aqua, hordeo & lupulo coctus. Est & haec causalis definitio apud Demosthenem, quam Iureconsulti in Pandectis retulerunt. τῶς ὁσιν ὁμος ἔνρημα μὲν καὶ Λῶρον θεῶν, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπεὶ νόρθωμα, ἢ τῶν ἐκουσίων καὶ ἀκουσίων ἀμαρτημάτων, πόλεως δὲ σωθῆκη κοινῆ, καθ' ἣν τῶσι προσήκει ἢν τοῖς ἐν πόλει. Nam causa efficiens legis, est Deus, qui insculpsit rationi nostrae sententias certas de moribus, seu, quod uocant, ius naturae, unde leges omnes nascuntur. Proinde primum ait, legem esse inuentum Deorum: neque legis uim habere debet, quicquid constituitur, quod a naturali iure dissentit, qualia illa sunt patrem senem mactare: item ne uxor marito superstes sit, quae apud barbaros fuit,



## C O M P E N D I V M

Etē illa Milesiorū lex: Nemo nostrū frugi esto. Deinde  
 in quo subiecto sint leges, aut quibus inscripserit De-  
 us, adijcit, cū ait, δόγμα ἀνθρώπων φρονίμων,  
 Id est, hoc diuinitus est acceptū de quo inter sanos &  
 prudentes cōuenit: nā Scythis etiā data est ratio, datū  
 ius naturæ, sed illi cōsuetudine deprauati, non animad-  
 uertūt, nec cernūt diuinū donū. Postea finalē causam  
 adijcit, seu officiū, lege corrigi delicta. Postremo partē  
 causæ efficientis, urbis cōmune pactū, nā non statim  
 oīs sentētia de moribus, lex est, sed illa ad quā se popu-  
 lus astrinxit. Apud Athenienses capitale erat, uiatorē  
 de uia interrogantē fallere, præclara & honesta lex  
 fuit: sed nobis nō est lex, quia ad eā se nostra ciuitas nō  
 astrinxit. Apud Persas capitalis ingratitude fuit, apud  
 nos non est eadem lex, quia ad eam nostri se non astrin-  
 xerunt. Additur & particula de causā finali, se-  
 cundum quam oēs conuenit uiuere, nisi enim legibus  
 ex æquo teneantur, & hi quorū infirmæ sunt in ciuita-  
 te uires, aut opes, quiq; propter imbecillitatē uiriū in-  
 iuriæ obnoxij sunt, & illi qui propter magnas opes cu-  
 piunt ledere imbecilliores, aut ex sua libidine uiuere,  
 magnæ grauesq; inde existunt in Rep. tēpestates, nam  
 ferè uolūt legibus solui potētiores, ut Romæ Iulius, cū  
 cōtra leges absens petebat Cons. ex quare natū est bel-  
 lum ciuile. Sit igitur ea legū uis, ut iuxta oēs teneant-

Sic



## D I A L E C T I C E S

Sic & Cicero definiuit legem, Philippica II. Est enim lex nihil aliud, nisi recta & à numine Deorum tractata ratio, imperans honesta, prohibens contraria.

Huc etiam pertinent definitiones relatiuorum nominum, quia omnia per earum rerum quæ comparantur inter se uocabula, definiuntur. Eas res possumus causas uocare comparisonum, ut ignem calefaciendi causam. Definiemus igitur quædam relatiua nomina.

Seditio, est motus populi contra magistratus, ut apud Virgilium.

Ac ueluti magno in populo cum sepe coorta est  
Seditio seuitq; animis ignobile uulgi.

Ea definitio est, furorem uulgi esse, hoc est, non iusta arma, non ex autoritate magistratus sumpta esse, sed aduersante magistratu. Deinde adiicit Poeta definitioni schema  $\tau\omicron\omicron\tau\upsilon\tau\omega\omicron\nu$ . Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat. Sic enim pictor si seditionem seu motum pingeret, in urbe tectis ignes iniici, non iusta acie, sed temere, nec rite instructos, sed alios alio teli genere concurrere. Ita uides quã adposite definiat Poeta, iuxta præcepta Dialectices, deinde quæ uenuste ornet iuxta Rhetorices præcepta. Sed est copiosior famæ definitio apud Virg. Nam cum fama sit late uagatus sermo, primum peruagationem describit, genus famæ.



## C O M P E N D I U M

Quo non aliud uelotius ullum  
Mobilitate uiget uiresq; acquirit eundo  
Parua metu primo, mox sese attollit in auras  
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit  
Deinde addit differentiam, seu rem collatam, ser-  
monem uidelicet.

Tam ficti prauiq; tenax quam nuncia ueri  
Inserta est definitioni pictura, iuxta Poëtarum con-  
suetudinem. Monstrum horrendum ingens &c.

Adfectus etiam causis definiuntur, ut metus. Ge-  
lidusq; coit formidine sanguis.

### DEFINITIO EX EFFECTIBVS seu officijs.

Tertium genus definitionum est, definitio ex ef-  
fectibus seu officijs composita, ut homo est qui loqui  
potest. Sol est autor diurnæ lucis. Iusticia est, quæ  
suum cuiq; reddit: neq; raro utimur hoc genere defi-  
nitionis, præsertim in uirtutibus aut uitijs definiendis:  
nam artes, & alij animi habitus non aliter, nisi offi-  
cijs discerni possunt. Nec uereor dicere has esse habi-  
tuum propriissimas differentias, quæ ab officijs tra-  
huntur.

Rex est, qui unus rerum potitur, & ius dicit, ex  
certis legibus. Tyrannus est, qui unus rerum potitur,  
& ius dicit ex suo arbitrio sine legibus. Hoc enim  
tyrannum



## D I A L E C T I C E S

tyrannum proprie dixerunt ueteres, postea hæsit adpellatio tantum in sceleratis & crudelibus principibus, qui latrocinium domesticum exercuerunt in imperio, non administrauerunt Remp. Magistratus est minister Dei ad nostram utilitatem, ut malos puniat, & bonos honore adficiat, sic enim definit Paulus: Genus est, minister Dei, cum enim sic adpellat, docet esse piuum gerere magistratum, & à latrocinio discernit. Et nos admonet, ut quia diuinitus nobis magistratus impositi sint, tanq̃ Dei uicarios colamus. De inde officia recitat, primum minister est, ad nostram utilitatem, sic ait Paulus *Ἰακωβός ἐστὶ σοὶ εἰς τὸ ἀρεθόν*. Hic magistratum docet, non ad suam libidinem, aut utilitatem debere gerere publicum munus, sed suis cupiditatibus publicam utilitatem anteferre, & intelligere, sibi alienæ utilitatis procuracionem, tanq̃ œconomus in familia commissam esse, nec datas esse tot urbes, tot regna, in hoc, ut inde tantum uoluptatum suarum instrumenta rapiat. Reliqua sunt, punire fontes, iudicare, facinora prohibere, de facinorosis supplicia sumere, bonos non tantum defendere, sed honore adficere, hoc est, efficere in Repub. non tantum ut uita, fortunæ bonorum, in tuto sint, sed etiam ut gradus dignitatis conseruentur, & sit honos uirtuti, & omnia honestarum artium studia colantur, & magnificent.

D d



## COMPENDIUM

### DEFINITIO EX

Partibus.

Quartum genus definiendi, est definitio quæ componitur ex partibus seu membris rei, ut corpus humanum est, quod ex capite, pectore, manibus, uentre & pedibus constat. Philosophia, est artium dicendi, physiologiæ, & præceptorum de moribus cognitio tanta, quantam adsequi ratio humana potest, sicut enim in corpore membra, ita in Philosophia tres illæ partes coherent.

### DEFINITIO EX AC

cidentibus.

Quintum definiendi genus, definitio est ex genere & accidentibus collecta, ut sunt herbarum definitiones apud Dioscoriden aut Plinium, ut Narcissus est flos similis croco, caule dodrantali, florens mense Augusto postremus omnium florum. Hoc genere definitionum utimur in describendis personis, ut apud Homerum Thersites describitur, strabis oculis, gibbosus, garrulitate scurrili. Est autem nobis ideo sæpius hac forma definiendi utendum, quia accidentia ostendunt nobis substantias alioqui ignotas: per hæc malua à marrubio: cygnum à coruo, Pompeium à Iulio, deniq; res inter se omnes discernimus.

Hactenus tradidimus definitionum formulas, reliquum



## DIALECTICES

liquum est, ut exerceantur pueri multis exemplis, nā  
ut sine usu aliæ artes percipi non possunt, ita exacte  
et adposite definire nemo sciet, nisi eius rei usum quen-  
dam sibi fecerit. In grauibus disputationibus permul-  
tum refert eius rei, de qua disceptatur definitionem  
tenere perspicuam & certam, nam ex definitionibus  
argumenta omnia, tanq̄ ex fonte deriuantur, & tota  
disputatio nascitur, & sicut actioni Demosthenes in  
dicendo primas, secundas, item tertias tribuit, ita nos  
in accurata & subtili disputatione, unam definitionem  
maxime dominari statuimus, eiq; iure & primas, &  
secundas, & tertias deberi affirmamus. Ni longum  
esset, commemorarem aliquot exempla, ubi est cerne-  
re magnos uiros in longis disputationibus, turpiter hal-  
lucinatos esse, quia parum cauti fuerant in definiēdo.

### DE DIVISIONE

Quidam uoces diuidunt in significata, ut poly-  
pum in piscem & morbum: uerum, quia uoces ambi-  
guæ prorsus è Dialectica exterminandæ sunt, & à Grā-  
maticis certa uox, certæ significationis petēda, de hoc  
genere diuisionum nihil præscripturus sum. Immo ad-  
moneo disputaturos, aut quicumq; priuatim uersabun-  
tur in grauibus ac asperis causis, ut primū propositi  
negotij, certæ significationis uocabula cōstituant, alio-  
qui, fieri nō potest, quin in media disertatione, rerū

D d ij



## C O M P E N D I U M

Genera diuifi-  
onum duo.

Species.  
Partes.

scopo excidant, sic enim sefellit Pelagius hereticus catholicos, ut est apud Augustinū, q̄ alias alter gratiæ nomine utebatur, eo uno usus, desperata sepe causa, perfugio. Hoc genus exempla in dialo- gis Platoniciis crebra sunt. Sunt aut̄ genera diuisionū duo: diuidimus enim genus in species per differentias, ut animantium, quod sermone utitur, homo est. Muta, Bos, Leo, capra, & reliqua. Aut̄ findimus rem in partes, ut corpus in pedes, manus, uentrē, caput. Hoc diuidendi genus Cicero partitionē uocat. Atq; hic caue, quod & Marcus Cicero admonet, ne partes cum speciebus confundas. Species sunt quæ genere cōtinentur eodē, at ex ipsis genus non conficitur: partes, id, quo cōtinentur, conficiunt, sicut animā, uis intelligendi, & sensus adfectuum. Corpus, uenter, caput, pedes &c.

Apprime necessaria est ratio exacte diuidendi, ad rhetoricas distributiones, & amplificationes, ut totus monstrum est, id hoc pacto dilatabitur, si hominem in corpus atq; animū partiatis, deinde singulas corporis partes, singulas item animi partes attingas. Et animo & corpore monstrum est. Oculos, os, uuitum, totam deniq; corporis figuram inspice, quid aliud quā monstrum præ se ferunt? Atq; hæc orationis ornamenta, seu schemata, ex diuisione Dialectica, ceu ex fonte deriuantur, ut è singulis Dialecticis locis singulæ sermèrbe



## DIALECTICES

in rhetoricorum figuræ, id quod in ratione argumentandi ostendemus, nascantur.

Addunt his diuidendi formis, et diuisionem rei in accidentia, quod probo, cum accidentia differentie uice usurpatur, ut pharmacorum, aliud salutare, aliud pestiferum. Non probo, cum accidentia quasi partes rei explicamus, ut paries partim albus, partim niger. Non dum enim satis intelligo, huius formæ usus esse quis possit, aut si quis est, diuisionem certe inepte uocauerimus, ubi rerum accidentia numerantur.

### V S V S E O R V M Q V A E D E

uocibus simplicibus prodita sunt.

Hactenus de natura rationeque uocum simplicium diximus, ut in simplici themate tractando, habeas quæ sequaris regulam, ceu Thesæ filium. Plurimum enim refert scire, quo ordine, qua uia peruestiganda sit cuiusuis thematis natura. Nam et axiomatum et argumentorum iudicium, pendet è simplicium thematum ratione. Iam te lector admoneo, rem ipsam ad animi iudicium reuoces, ut intelligas Dialecticam esse non tam artem quam quendam naturæ captum seu sensum, quo ducimur in peruestigandis, iudicandisque thematibus, quod ut intelligas, simplicium thematum quæstiones præscribam.

Usus eorum  
quæ de simplicibus  
uocibus  
prodita sunt.



## COMPENDIUM

Quid nomen significet .

Quid res sit .

Quæ causæ .

Quæ partes .

Quod officium .

Nam omnium primum, quocumque themate proposito, Nominis uis nominis uim, ipse naturæ sensus cōtuetur: proinde, & omnium primū primum in cuiusque rei peruestigatione, certā nominis contuenda . adpellationem constitue, eam ob causam, primū de fi-

Deinde quid initium & caput Dialectices est . Deinde, cum de no- sit res, quæ fi minis significatione conuenit, omnium primum, quid nitione explicatur . ea ipsa res sit de qua proponitur, exquiri, mēs humana iubet: ut si scias, Cameli uoce animal significari, statim quæres, quid animalis sit Camelus, eam quæstionem finitio explicat, eaque ipsa tam ab ordinibus rerum, seu

Consilium .

In finitionibus causæ rerū in primis spectandæ .

prædicamentis petenda est, quæ fuerit operæ precium instructissima habere: nam in hæc uniuersitatem naturæ totā digerere licet. Profuerit in rerum ordinibus, exercere uuentutem uarijs exemplis, animantium, herbarum, gemmarū, locorū item cōmunium: Iusticiæ, Temperantiæ, Vitæ, Mortis, Fortunæ, & similia . tam in finitionibus in primis causas rerum spectari uelim: neque enim ullæ finitiones rem propius declarant, quàm quæ causis contexuntur . Proxima ergo

finitioni



## D I A L E C T I C E S

finitioni quæstio caussarum est, unde nata res sit, aut  
 à quibus autoribus profecta. Posthæc inquiritur, ad  
 multa ne pertineat thema, quam quæstionem diuisio,  
 cum in species, tum in partes declarat, ut iusticiæ in  
 eam quæ in contractibus uersatur, & eam quæ bonos  
 præmijs auget, de malis supplicium sumit: ibi sua  
 sunt officia cuiq; . Atq; hæc pluribus exemplis ita ex  
 ercenda sunt, ut adsuescat iuuentus, quocunq; thema  
 te proposito, statim eius naturam & conditionem ad  
 has quæstiones exigere, nam ita fiet, ut quæ discen  
 da sunt, certis comprehensa finibus in promptu ha  
 beamus: est enim ex hac Dialectices parte, par con  
 moditas discantibus, ac docentibus. Suae fabri regu  
 lae sunt, fila aut amisses, ita discantibus necesse est  
 suos quosdam indices esse, quos in peruestigatione  
 rerum sequantur.

### E X E M P L V M.

Quid nomen uirtutis signat?	Adfectum.
Quid uirtus?	Adfectus bonus.
Quæ causæ?	Diuina uis.
Quæ partes?	Tot quot adfectuum sunt modi
Quod officium	Beare hominem.

D d iij



C O M P E N D I U M

 D E P R O

N V N C I A T O L I B E R

S E C V N D V S .

**I**N negotio Dialectico, in primis iucundum est, quod quo longius progressus fueris, eo magis sese aperit fructus atque comoditas artis. Nam, quod supra dixi, inter Rhetorica & Dialectica hoc interesse, quod splendida Rhetores, Dialectici certa doceant, & propterea nervos omnes, & robur orationis Rhetoricae, a Dialecticis petendum esse, id hoc loco uel potissimum ex ratione pronuntiati deprehenderis, quod a Dialecticis in hoc tractatur, ut sit omnis orationis, omniumque argumentorum, ceu amussis quaedam et regula, id quod intelliges cum exposuero quid sit pronuntiatum.

**Certitudo Dialectica.** Quod nonnulli axioma, Cicero pronuntiatum alij proloquium, alij enunciationem, nostri propositionem uocant, est indicatiua, adeoque simplicissima oratio, qua certi quiddam significatur, ut Cicero est orator. Caesar uicit Pompeium. Inuidia comes est uirtutis. Partes axiomatis, subiectum & praedicatum uocant. Prior pars cui quid attribuitur, subiectum est. Posterior pars, quae subiecto tribuitur, praedicatum est. Atque haec

**Axioma, pronuntiatum, proloquium, propositio, enunciation.**  
**Partes axiomatis**



## D I A L E C T I C E S

hæc nomina Græcis debemus. Integræ orationem esse necesse est, ideo ex nominibus & uerbis constat, quibus nihil retulerit, sicubi addas aduerbia, aut quæ uocant, adiectiua nomina, ut fortiter pugnauit Marius, aut, urbs antiqua ruit. Breuiter à Grammaticis, immò à communi sensu pete, quæ sit integræ, certæ, indicatiuæq; oratio, eam pronunciatum uocabis.

### V S V S P R O N V N C I A T I .

Quandoquidem instituitur orationem Dialecticam reuo Vsus pronun-  
care ad animi iudiciũ (neq; enim aliter usum rei osten ciati.  
dero) pronunciatum quoq; uim ex ipsa natura, ceu fon  
tibus deriuabimus. Nam eiusmodi quandam planè sim  
plicissimam orationem præscribunt Dialectici, quæ ci- Que simpli-  
tra calumniæ, citraq; tergiversationem, simpliciter, cissima eadẽ  
aut probetur aut improbetur, uera aut falsa censeatur, certissima est  
quæq; ipsum animi sensum, quàm propriissime ac sim oratio.  
plicissime referat, prolixas disputationes & cõtrouer  
sias, argumenta item rhetorum figuris illustrata orna  
taq;, complecti animus hominis nequit, nisi certa qua  
dam periodo comprehenderit, in qua ordinem, progres  
sionesq; singularium sententiarum, ceu in tabula cõtuea  
tur. Proinde longa oratio in syllogismos cogitur, syllo  
gismi in simplicia axiomata, ut apud Marcum Cicero  
nem in Miloniana, summa causse totius, hoc Syllogismo  
constat, uim ui arcere ius nature permittit, Milo uim



C O M P E N D I V M

ui arcens, Clodiū occidit, iure igitur occidit: quē syllogismū cū tenueris, causam exacte tenebis. Postea licet orationis ornamenta & figuras contemplari, quanq; splendide singulas syllogismi partes persequatur: at periculū est, ne sententia frustreris, nisi axiomatis cōplexus fueris, neq; enim quā apte sint probationes, ut constant sibi, temere cernas, nisi simplices sententias inter se cōtuleris. Ideoq; operæ precii est, in cōtrouersijs disceptationibusq; iudicandis, argumēta statim in breues ac simplices sententias soluere. In primis autem, in una quaq; causa tractanda, ipsum causæ scopum quē Rhetores statum uocant, axiome complere, cui in uniuersa disputatiōe, quā adpositissime omnia argumenta compares. Nam ut in ludis suæ sunt lineæ, suaq; signa certantibus, ita in differendo, theses & axiomata, quibus disceptationum status cōprehenduntur: ut totius disceptationis Milonianæ status est, Clodium iure cæsum esse. Noli pluribus exemplis onerare rudem iuuentutem, quare satis sit admonuisse, q; in omnibus, quarumcunq; contentionum, siue sacrarū, siue prophanarum argumentis, requirenda sunt simplicissima & certissima sententiæ, in quibus citra ullā ambiguitatē, quid uerū, quid falsum sit, spectari queat, & ad quas omnia orationis ornamenta referantur. Et in enarrandis autoribus, censeo

indicandum

Nota de statibus.

Omnia statū simplici axiome comprehendēda esse

Vtile consiliū



## D I A L E C T I C E S

indicandum hoc differendi artificium adulescentibus, nempe, quo scriptorum sententias rectius adsequantur, & discendi labor ordine, quem ratio Dialectica praescribit, minuatur. Atq; haec de usu axiomaticum Pronunciata distinguunt Aristotelici in simplicia, ut Cicero est orator, & modalia, sic enim uocant, ut necesse est ciuem tueri patriam: rursus modalia in composita ac diuisa, ego modalia simplicibus axiomaticis comprehendo: uoco enim axioma orationem unam, integram, & indicatiuam, ut excludere modalia pronunciata non liceat, & quae de modalibus ab istis prodita sunt, argutiora quae ueriores magna ex parte uidentur.

### F O R M A E P R O N U N C I A T O R U M .

Pronunciata quaedam sunt uniuersalia, ut omnes ciues decet patriam tueri, neminem decet patriam deserere. Quibus modis sententia uniuersalis efferatur, uide Erasmi Coptam. Quaedam particularia sunt, ut quaedam animantia ratione carent. Quaedam indefinita, quibus magna cognatio est cum uniuersalibus, cum scilicet solum speciei, aut generis uocabulum usurpatur, pro omnibus indiuiduis, ut cum dicitur: *Hominem decet piuum esse*, significo omnes homines pietatem decere. Atq; haud scio, an unquam sermonis proprietatem particularem orationem efferat indefinite,

Particularia  
Indefinita.

Cōtra uulgus  
Indefinitā habere uim uniuersalis.



## COMPENDIUM

**Singularia** id quod uulgo Dialectici docent. Quaedam singularia sunt, ut Virgilius scribit. Sunt autem omnia quae proprijs nominibus aut uicem illorum fungentibus, efferruntur, ut Plato docet, Hic uir bonus est.

### ALIA PRONVNCIATORUM rum forma.

**Affirmatiua** Pronunciata quaedam affirmatiua sunt, quae citra  
**Negatiua** negationem efferruntur, ut Aeneas est pius. Quaedam negatiua, quae cum negatione efferruntur, ut Aeneas non est pius. In omni controuersia, uide ut quam simplicissimis pronunciatis declares, quid affirmes, quid neges. Audiui enim disceptantes de arduis, ut uidebatur, rebus, inter quos de re ipsa planè conueniebat. Sed quia scopos disceptationis non designarant certis pronunciatis, iam huc, iam illuc, contentione rapiabantur, nec quidquam certi colligebatur.

### ALIA FORMA PRONVNCIATORUM.

**Necessaria** Pronunciatorum, alia uera sunt, quae cum rebus consentiunt, alia falsa, quae cum rebus non consentiunt. Item pronunciata quaedam sunt necessaria, quae semper uera sunt, sunt autem in quibus finitio cum finito iungitur, aut finitionis pars, aut proprium de  
**Contingentia** subiecto dicitur, ut homo est animal intellectuale, homo potest loqui. Quaedam sunt contingentia, quae aliquando



## DIALECTICES

Quando esse falsa possunt. Sunt autē in quibus de substantijs accidentia dicuntur, aut de accidentibus, accidentia, ut Cicero est Philosophus, albū est dulce. Atq; hæc formula pronunciatorum spectanda diligenter est in iudicandis, cum statibus disceptationum, tum argumentis, quæ necessaria, quæ contingentia sint. Atq; hic uides, quid conferat ratio generis, speciei, indiuidui, & aliorum, quæ supra tractaui.

Iam in hac pronunciatorum forma, obserua, q̄ ac Accidentia bicidentia bifariam effcruntur, aut simpliciter, cum for sariam effemas tantum significant, ut color, albedo, nigredo: aut cum formas ita significant, ut in alijs rebus esse tamē designent, ut album, nigrū. Posteriore figura, de substantijs accidentia commode dicuntur, priore nunquā. Falsissima enim oratio est, Petrum colorem esse.

## DE OPPOSITIONE

In controuersijs diligenter spectandum est, quam sententiam cui opponas. Nec enim una est opponēdi forma, & sæpe, quæ pugnare inter se uidentur, re ipsa conueniunt. Primum in oppositionibus obserua, ne qua incidat ambiguitas, in uocū significationibus. Nam, ut non pugnant diuersæ orationes, Aeneas pius est, Cæsar impius, ita nec ea, quæ uariant ambiguitate uocis, ut Polypus est piscis, Polypus non est piscis, si in hac morbū, quem Polypon uocant, intelligi uelis.

De opposi  
tione.



C O M P E N D I U M

F O R M A E P V G N A N T I V M

Formae pugnantium pronuntiatorum sunt tres.

pronuntiatorum tres sunt.

Contraria, duo uniuersalia, ut omnis uoluptas est bona, nulla uoluptas est bona, quae nunquam simul uera sunt. In contingentibus alicubi simul falsa sunt, ut omnis homo est pius, nullus homo est pius.

Subcontraria

Subcontraria, particularia sunt, ut quidam homo pius est, quidam homo pius non est, quae nunquam simul falsa sunt, at uera in contingentibus simul esse possunt

Contradictoria, constant ex uniuersali & particulari, aut singularibus, quae nunquam simul, neque uera, neque falsa esse possunt, ut Plato sedet, Plato non sedet.

Omnis uoluptas est bona.

Contrariae

Nulla uoluptas est bona.

Contradi

toriae

Contradi

toriae

Quaedam uoluptas est bona

Subcontrariae

Quaedam uoluptas non est bona.



# DIALECTICES

## DE CONVERSIONE

Vsus conuertendorum pronunciatorum, nisi apud Sophistas non satis uideo, esse quis possit. Verū quādo ad naturam signorum uniuersalium, affirmatiuorum & negatiuorum, non parum conducit, subiiciam quoq; conuertendi modos.

Vertendorum pronunciatorum duæ sunt formæ, Vertendorum Simplex, qua iisdem signis transferuntur subiecta & pronunciatorum prædicata. Quo modo uertuntur, uniuersalis negatiuum duæ sunt, & particularis affirmatiua, ut nullus homo est brutum, apte uerteris, nullum brutum est homo. Sic quædam uoluptas est bona, apte uerteris, bonum quoddam uoluptas est. Formam alterā per accidens uocāt qua mutantur signa, atq; hac utūtur pronunciatorum uniuersalia affirmatiua, ut omnis uoluptas bona est, apte uerteris, bonū quoddam est uoluptas. Atq; hic uides ut uis negatiōis uniuersalis, diffundatur in omnes pronunciatorum partes, affirmandi signū nō item. Quare uniuersalis negatiua simpliciter uertitur, affirmatiua per accidēs, in causa est, ipsa sermonis nostri proprietas. Vulgo Dialectici & equipollentias, ut uocant, præscribunt, & in pronunciatorum ratione, uix in ullo loco plus negotij est Aristotelicis, uerum has, cum planè ad Grammaticos pertinere intelligamus, quid attinet hic repetere? An quisquam puerorum est, qui



## COMPENDIUM

**Consilium** ignoret idem esse, nemo hominum non est pius, quod, omnis homo est pius. Quare te lector admoneo, magis ex ipsa uulgaris sermonis ratione, uelis aequipollentium uim colligere, quam ex istorum regulis. Iam quæ nugantur Aristotelici de infinitis, ut non homo, tam insulsa sunt, ut & hic meminisse pigeat. Quis est **De nomine in** finito in quo enim infinitorum, in communi sermone, in disputationibus argumentorum ciuiliū usus? Dialectica enim & græci halucinantur. quatenus seruiunt inuentioni, iudicio & dispositioni, præscribimus, nugas, quæ à ciuili sensu remotæ sunt, relinquemus ijs, qui non aliud à Dialecticis petunt, quærixandi, cauillandi, nugandiq; materiem.

### DE PRONVNCIATO HYPOTHETICO.

**De hypothetis** indicatiuam. Addunt pronunciatis & hypotheticas orationes Dialectici. Verum mihi uisum est, earum rationem argumentationibus subijcere, quibus cū hypotheticis non inepte conuenit. Neq; uero cognosci exacte possunt, nisi syllogismi natura cognita. Iam cū hypotheticæ sint ex simplicibus multis contextæ, iudicium quoq; earum est è superioribus petendū.



DIALECTICES  
DE ARGV  
MENTATIONE LI  
BER TERTIVS.

**E**X nulla parte Dialectices plus fructus est, quam ex ea, quam hoc libro absoluemus, in quo formulas argumentorum tractabimus: quis enim simplicium uocum, quis axiomatum usus fuerit, nisi ex eis contextantur argumenta? Primum ergo, quae debet esse argumenti cuiusque forma, describemus. Non hoc agimus, unde petas argumentandi materiem sed qualis argumenti forma esse debeat, docemus. Atque adeo, ut de quouis argumento iudicare possis, apte ne cohaereat an non. Neque enim temere quaecumque pronunciatorum cogeries, syllogismum aut enthymema conficit, sed finibus quibusdam comprehenduntur axiomata, e quibus syllogismus conflatur, atque hi in hoc circumscripti sunt, ut sit certa, euidensque sententia, quam probes aut refellas. Nullae Rhetorum probationes certae solidaeque sunt, nisi ijs formulis, quas subiiciemus, circumscribi queant: quod qui non uidet, totius Dialectices fructu sese frustrari sciat. In causis Rhetorum, tam sacris quam prophanis, retulerit sic exerceri iuuentutem, ut interim breues sententias, Figurisque integris syllogismis

Hic de forma, non de materia argumentorum agitur.

Fructus totius Dialecticæ



## COMPENDIUM

exponam, interim prolixas contentiones, arctis, certisq; syllogismorum iuncturis uinciant & adstringat. Quo genere exercitationis, facile & totius orationis neruos, & argumenti ordinem atq; dispositionem fuerit adsequi.

Sequi nobis libet, scholarum consuetudinem, in numerandis argumentorum paradigmatis seu formis, ne prodigiosa nouitate, rem per sese non admodum difficilem, obscuremus. Sunt autem formæ argumentorum quatuor, Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum. His addentur alia quædam, ut infra cernes.

### DE SYLLOGISMO CATEGORICO simpliciq;

Perfectissima argumentorum forma syllogismus est, quem Cicero ratiocinationem uocat, frequentatumq; scribit à Peripateticis maxime, deinde à Rhetoribus, ijs, qui elegantissimi atq; artificiosissimi putati sunt. Est aut oratio, in qua ex duobus pronunciatis, necessario cõplexio aliqua, seu conclusio consequitur. Partes sic exequuntur Aristotelici, ut dicant, syllogismũ cõtexti ex tribus terminis, seu uocabulis simplicibus, quæ duo pronunciata cõficiunt. Esse igitur syllogismi partes tres terminos, duasq; propositiones, ut Quod appetitur, bonum est, Voluptas appetitur, Bona igitur est. Hæc oratio, syllogismus est, habetq; uocabula simplicia tria

Syllogismus  
seu ratiocina  
tio.



## D I A L E C T I C E S

*cia tria. Quod appetitur, bonum, & uoluptatem: &*  
*axiomata duo. Quod appetitur, bonum est, & uolu-*  
*ptatem appeti, ex quibus necessario consequitur con-*  
*clusio, bonū esse uoluptatem. Iam terminos sic uocāt,*  
*eum qui bis usurpatur, hoc est, in priore ac posteriore*  
*axiomate, medium nuncupant. Eum qui in priore*  
*propositione tantum usurpatur, maiorem nuncupāt.*  
*Minorem, eum, qui in posteriore usurpatur: quare*  
*in syllogismo, quem praescripsimus, appeti, medium*  
*est, maior bonum, minor uoluptas. Et uide accura-*  
*te, ne plures tribus terminos in syllogismum admittas.*  
*Magna enim pars fallaciarum, & Sophisticarum ar-*  
*gumentationum, hoc peccat, q̄ quatuor terminis con-*  
*ficit syllogismos. Nec uariet uis uocabulorū, id quod*  
*nusquam non caueri uult Dialecticus, male enim ar-*  
*gumentaberis, si sic colliges. Omnis polypus est pis-*  
*cis, morbus quidam polypus est, ergo morbus qui-*  
*dam piscis est. Breuiter, infelicissime colliges, nisi*  
*duo simplicissima axiomata cōsutas, in quibus uocabu-*  
*lum unū bis usurpetur. At reuocemus syllogismi natu-*  
*ram, ad animi iudicium, ut intelligatur esse naturalis*  
*quædam thematis probādi methodus, & sic cōpingi, certitudo.*  
*ut aliter non possit, aut debeat. Atq; hic Dialecticæ cer-*  
*titudinē est spectare, q̄ nullæ sunt Rhetorum probatio-*  
*nes, quæ non possint, quocūq; modo dictæ, aliter dici,*

*Partes syllo-*  
*gismi sunt*  
*tres termini,*  
*& duo pro-*  
*nunciata.*  
*Medium*

*Maior.*  
*Minor.*

*Ambigua*

*Dialecticæ*



C O M P E N D I U M

uerum, Dialecticæ probationes, ab ipsa natura sic nobis præscriptæ sunt, ut quod ad argumentorū formam pertinet, mutari nullo pacto queant. Quem syllogismorum usum, utinam deprehendissent scholæ, & ostenderent, quicunq; oratores, tū sacros, tum prophanos enarrant, ut spectari possent necessariae, & inuolabiles thematum probationes. Neq; modo sic eruditi colligunt, aut ratiocinantur, sed & pueros & idiotas ipsa docet natura ratiocinari, è quorum ore iudicium syllogismi pete, non è rancidis Dialecticorum cōmentarijs. Et primum quidem syllogismus probatio alicuius thematis est: proinde thema primū animo cōcipe, quod argumento probaturus es, eritq; syllogismi, quem confecturus es, conclusio. Vulgo qui syllogismos conficere docent, non admonent è thematibus ducendos, id quod maxime referebat. Sint ergo themata, Voluptas bona est. Clodius iure cæsus est. Mundus

Ratio compo  
nendi syllogis  
mi.

prouidentia regitur. Singula singulis syllogismis probaturus, causam quæres, aut iudicium quodcunq; quare voluptas bona sit, quare Clodius iure cæsus sit, eamq; causam, cū thematis posteriore parte, seu prædicato, primum producas, eritq; axioma ceu communis quædam sententia aut gnome, aut locus communis, ut quicquid adpetitur, bonum est. Cuius uis repelli debuit, is iure cæsus est: deinde, causam hoc axioma expressam



## DIALECTICES

expressam, compone cum subiecto, seu priore parte  
thematis, ita apte sequetur cōclusionis, seu (ut Cice-  
ro uocat) complexionis uice, thema. Hæc quidē syllo-  
gismi natura est, & sola animi cogitatione deprehen-  
di potest. Principalis cuiusq; argumēti pars, subiectū,  
hoc est primū uocabulum thematis, est, deq; illo ali-  
quid dicitur, ut Voluptas est bonum: uox principalis,  
basisq; totius disputationis, uoluptas est, deq; ea bo-  
num dicitur, propterea cum uestigatur, quare de uo-  
luptate dicatur bonum, prima syllogismi pars, seu pri-  
mum axioma cōficitur: deinde, ea ipsa caussa ad uolu-  
ptatē, adeoq; ad cuiusuis thematis subiectū adplicata,  
posteriolem syllogismi partē conficit. Posterior thema-  
tis pars in primū collocari axioma debet, cum caussa  
probante. Prior thematis pars occupat secundū axio-  
ma, cū caussa probante, quam Aristotelici medium uo-  
cant. Hic uero ordo, ut à natura præscriptus est,  
ita necessarius est, & immutari nequit. Estq; omnis  
syllogismus consequentia, ut uocant, necessaria.

### QVID M. CICERO SYLLO

gismum uocet, & quomodo conficiat.

Velim artificium Dialecticum, cum Rhetoricis ita  
semper comparari, ut spectaretur idē esse finis, idemq;  
usus Rhetoricæ ac Dialecticæ: quare & hoc loco ui-  
sum est mihi conferre, quæ de syllogismis ab Aristo-

Ec iij



## C O M P E N D I V M

telicis prodita sunt, cum ijs, quæ sunt apud M. Cicero-  
nem in libris de inuentione, itē apud Fabium de Epi-  
cheremate libro quinto. Et planē re ipsa, cum M. Ci-  
ceroni, tum Fabio nobiscum conuenit, & si uerbis nō  
nihil à nostro usu remotis, discrepare uideatur. Verba  
eius, si quis requirit, subiiciam. **RATIOCINA-**  
**Ratiocinatio.** **TIO,** est oratio, ex ipsa re probabile aliquid eliciens,  
quod expositū, & per se cognitū sua se ui, & ratione  
confirmet. Hoc de genere qui diligentius consyderan-  
dum putauerunt, cum idem in usu dicendi sequerētur,  
paulum in præcipiendi ratione dissenserunt. Nam par-  
tim quinq; eius partes esse dixerunt, partim non plus,  
quàm in tres partes posse distribui putauerunt. Eorū  
controuersiam non incommodum uidetur, cum utro-  
rumq; ratione exponere, nam & breuis est, & non  
eiusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, &  
locus hic nobis in dicendo minime negligendus uide-  
tur. Qui putant in quinq; distribui partes oportere,  
aiunt primum cōuenire, exponere summam argumen-  
tationis ad hunc modum: melius administrantur, quæ  
consilio geruntur, quàm quæ sine consilio admini-  
strantur: hanc primam partem numerant, eam dein-  
ceps rationibus uarijs, & quàm copiosissimis uerbis  
adprobari putant oportere, hoc modo. Domus ea quæ  
ratione geritur, omnibus instructior rebus, & appa-  
rator,

Quinq; syllo-  
gismi partes.



## D I A L E C T I C E S

*ratio*, quàm ea quæ temere, & nullo consilio admi-  
*nistratur*. Exercitus is, cui præpositus est sapiens &  
*callidus imperator*, omnibus partibus cõmodius regi-  
*tur*, quàm is, qui stultitia, & temeritate alicuius administra-  
*tur*. Eadẽ nauigij ratio est, nam nauis optime cursum  
*cõficit ea*, quæ scientissimo gubernatore utitur. **Cum** Propositio  
*propositio sit hoc pacto adprobata*, & duæ partes maior cõpre-  
*transierint ratiocinationis*, tertia in parte auunt, quod batur.  
*ostendere uelis*, id ex ui propositionis oportere adsu-  
*mere*, hoc pacto. Nihil aut̃ omniũ rerũ melius, quàm Adsumptio  
*omnis mūdus administratur*. Huius adsumptionis quar minor adpro-  
*to in loco*, aliã porro inducunt adprobationem, hoc batur.  
*modo*. Nam & signorum ortus & obitus, definitum  
*quendam ordinem seruant*, & annuæ cõmutationes  
*non modo quadã ex necessitate*, semper eodem modo  
*fiunt*, uerum, ad utilitates quoq; rerum omnium sunt  
*accõmodatæ*, & diurnæ nocturnæq; uicissitudines nul-  
*la in re unquam mutatae*, quicquam nocuerunt, quæ  
*signo sunt omnia*, non mediocri quodam consilio, natu-  
*rã mundi administrari*. Quinto inducunt loco com- Complexio.  
*plexioneu, eam*, quæ aut id infert solũ, quod ex omni Conclusio.  
*bus partibus cogitur hoc modo*. Consilio igitur mun-  
*dus administratur*, aut unum in locum cum conduxerit  
*breuiter propositionẽ & adsumptionẽ*, id adiun-  
*git*, quod ex his cõficiatur, ad hunc modum. Quod si

Ee iij



C O M P E N D I U M

melius geruntur ea, quæ consilio, quàm quæ sine consilio administrantur, nihil autẽ omnium rerum melius, quàm omnis mundus administratur, consilio igitur mundus administratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem: qui autem tripartitam esse dicunt, ij non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt, negant enim, neq; à propositione, neq; ab adsumptione, adprobationes earũ separare oportere, neq; propositionem absolutam, neq; adsumptionem sibi perfectam uideri, quæ adprobatione cõfirmata nõ sit. Quare, quas illi duas partes numerant, propositionem & adprobationẽ, sibi unam partem uideri propositionem, quæ si adprobata non sit, propositio non sit argumentationis. Item quæ ab illis adsumptio, & adsumptionis adprobatio dicitur, eandem sibi adsumptionem solã uideri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, alijs tripartita, alijs quinquepartita uideatur. Atq; hæc Cicero fermè iisdem uerbis. Eadem sunt prodita à Quintiliano de Epicheremate, uocat enim

Eadẽ syllogismus, Epicherema & ratiocinatio.

Quintilianus Epicherema, quod Cicero ratiocinationem, neq; aliud est re ipsa, siue Epicherema, siue ratiocinatio, quàm syllogismus. Finijt Cicero paulo obscurius syllogismũ: deinde, in quinque partes dissecuit propositionem, adprobationem propositionis, adsumptionem,



## D I A L E C T I C E S

sumptionem, adsumptionis adprobationem, & cōple  
xionem. Quas partes, nostro more licebit uoces, Maio  
rē, Maioris confirmationē: Minorē, minorisq; proba  
tionem, & conclusionē, nam quod pronunciatorum  
probationes, in syllogismi parte numerat, magis mate  
riæ argumentorū, quàm formæ rationem habuit. Ve  
rum, hic non agitur, uera sint axiomata, nec ne, sed  
quomodo inter se cohæreant, quoq; ordine coniuncta  
sint, & quot uoces, quotq; pronūciata compingi pos  
sint in syllogismum. Alioqui, si addas axiomatis proba  
tiones, iam nouus syllogismus contexitur. Deinde, ple  
riq; syllogismi eiusmodi sunt, ut uel citra confirmatio  
nes, satis declarent conclusionē, quales ex Mathema  
ticis peti possunt, qui rem oculis subiiciūt. Sed de Rhe  
torica, hoc est, probabili argumentatione loquebatur  
Cicero, quæ figuris & schematibus oratorijs illustra  
tur. Nos simplicissimam & certissimam argumētandi  
rationē præscribimus, nec aliud est, uel Ciceroni ratio  
cinatio, uel Quintiliano Epicherema, quàm quod Dia  
lecticis syllogismus. Sic M. Ciceronis ratiocinationē,  
omissis probationibus, in syllogismum Dialecticum re  
diges. Quod optime administratur, consilio admini  
stratur, Maior, Propositio: Mūdus optime administra  
tur, Minor, Adsumptio: Ergo mundus cōsilio admini  
stratur, Conclusio, Cōplexio. Atq; hunc syllogismū

Propositio.  
Adsumptio.  
Complexio.

Quod Cicero  
ni est ratiocina  
tio, hoc  
Quin. est Epi  
cherema &  
Dialecticis syl  
logismus.



## C O M P E N D I V M

*Ciceronis exemplum imitandum.*  
uides, quàm copiose, quàm eleganter dixerit Cicero. Nec inutile fuerit, Ciceronis exemplum sequi, in expo-  
liendis ornandisq; syllogismis, iuxta Rhetorum præ-  
cepta, nam, ut uolo Dialecticã certamq; argumētandi  
formam exacte cognosci, ita uehementer optarim,  
oratorio cultu tenuitatem Dialecticam locupletari, ne  
ieiuno dicendi genere, sterilefcant ingenia.

### D E F I G U R I S S Y L L O G I S M O R V M.

*Tertia figura rejicitur.*  
Tres figuras syllogismorū Aristotelici prodidere,  
duas priores uolo studiosis quàm cōmēdatissimas esse.  
Tertiam, neq; rejicere, neq; probare animus est. Nã  
cum in syllogismis ipsa natura poscat causam, seu me-  
dium, in quo uis est argumenti, de subiecto conclu-  
sionis, per adfirmationem aut negationem prædica-  
ri, in tertia figura subiectum conclusionis, de medio  
prædicatur, ordine naturæ peruerso, quo fit, ut ra-  
tio argumentandi iuxta tertiam figuram, cum sit ob-  
scura, à communi oratorum usu abhorreat: & haud  
scio, an unquam legerim argumentum aptum tertiæ fi-  
guræ. Iam & syllogismi natura maiorem uniuersa-  
lem, si recte contempleris, poscit, quod satis constat  
non obseruari omnibus tertiæ figuræ modis. Rursus  
quom Dialecticus præcipiat alicubi, non tam quod  
fieri



## D I A L E C T I C E S

fieri solet, quàm quod potest, uisum est & hanc qualemcunq; argumentandi formam, à ueteribus traditam præscribere. Nec desunt argumenta syllogismi naturam excutienti, cur syllogismum expositoryum, quem uocant, omittam, neq; enim euidens probatio est, hæc syllogismi forma, qua sic ratiocinamur, probaturi pietatem esse iusticiam, hoc est pietas, & hoc est iusticia, ergo pietas est iusticia. Deinde, ut omnino ad expositionem argumenti, quod ad materiem pertinet, aliquid conducat, certe formæ argumentorum & consequentiæ, de qua hic sola agitur, nihil confert. Iam & syllogismus expositoryus, potius est singularum propositionum explicatio, quàm totius syllogismi, quo magis miror, quid in mentem uenerit scholis, cur syllogismos tertie figuræ, hoc modo probarent.

### R E G V L A E,

In syllogismis, necesse est unam aliquam uniuersalem esse, præstiteritq; maiorem uniuersalem esse, si naturam syllogismi recte introspicias, & tertiam figuram minus probo, q̄ maiorem admittit particularem. Proinde, inepte colligas & inefficaciter ex solis particularibus: item ineptius ex solis negatiuis. Nam syllogismus est argumentum, si qua fuerit particularis, aut negatiua, sequetur complexio, seu conclusio particularibus, aut negatiua.

In omni syllogismo necesse est maiorem esse uniuersalem.



# COMPENDIUM

## DE PRIMA FIGURA

In formis syllogismorum prima perfectissima. Notæ literarum. A, universalis affirmatiua. E, universalis negatiua. I, particularis affirmatiua. O, particularis negatiua.

Prima figura syllogismorum, & creberrime usurpatur, & naturæ proxima est, & forma ratiocinandi longe euidentissima: est autem, in qua medium siue causa cōclusionis, in minori subiecti uice, in maiori prædicati uice fungitur, sic enim conuenit in absoluta ratiocinatione, id quod intelliges, si ad animi iudicium reuocaris. Nam ideo prædicatum conclusionis de subiecto conclusionis dicitur, quia de eo prædicatur, quod idem est cum subiecto, nempe de medio.

Modi quatuor sunt, Vniuersalis affirmatiuus, Vniuersalis negatiuus, & qui ex his nascuntur, particularis affirmatiuus, & particularis negatiuus. Vulgo adpellantur Barbara, celarent, darij, ferio, quibus nominibus docendi gratia nos quoq; utemur. His quatuor modis necesse est contineri omnes syllogismos primæ figuræ. Nec ulli apte extra hos modos in prima figura texuntur.

- Bar Omnis iusticia est uirtus.  
 ba Omnis pietas est iusticia, ergo,  
 ra Omnis pietas est uirtus.  
 Ce Nulla iusticia est uicium,  
 la Omnis pietas est iusticia, ergo,  
 rent. Nulla pietas est uicium,  
 Da Omnis hoim societas, legibus muniri debet.



## D I A L E C T I C E S

- ri Ciuitas est hominum societas, ergo,  
i. Ciuitas legibus muniri debet.  
Fe Nulla hoim societas, legibus muniri debet,  
ri Ciuitas est hominum societas, ergo,  
o Ciuitas legibus muniri non debet.

His adduntur modi Baralipton, celantes, dabitur.  
O insulsos homines, qui putarunt uspiam usum esse  
conclusionis indirectæ, quam uocant. Satis scio con-  
uerti posse pronunciatum: Omnis pietas est uirtus, in  
hoc, quædam uirtus est pietas, at supra admonui, cõ-  
uersionis usum, me non uidere apud oratores, aut in  
totaratione loquendi, ad Sophistas hæc nugalia per-  
tinent, qui sic Dialectica tractant, ut eorum usum pe-  
nitus ignorent, nam, quis uel insanus sic colligat?

Omnis iusticia est uirtus.

Omnis pietas est iusticia, ergo,

Quædam uirtus est pietas.

Neq; enim cõclusio talis, ex his pronunciatis proprie  
consequitur, quare syllogismus dici non debet, in quo  
non apte cum maiore ac minore cohæret conclusio.

## D E S E C V N D A F I G V R A

Secunda figura, est in qua medium, tam in maiore,  
quàm in minore prædicati uicem defungitur, estq; eius  
admirabilis usus in coniecturalibus argumentis, pla-  
neq; in omnibus quæstionibus, ubi è posteriore prius



C O M P E N D I V M

quiddam, ceu per coniecturas uestigamus. Incredibile est, quantam commoditatem ex hac argumētandi forma percepturus sis, si diligenter eam in coniecturis exercueris, ut Episcopus non belligeratur, Iulius belligeratur, non est igitur Episcopus. Hac argumentandi forma, & Cicero cum alibi crebro, tum pro M. Cœlio utitur, sic colligens. Nemo uoluptarius literarū studiosus est, at Cœlius literarum studiosus est, uoluptarius igitur non est. Quē syllogismū oratorio more, copiosissime exponit Cicero. Primū complexionem ipsam proponens, deinde minorem, post maiorem, nā hoc ordine ferè & Demosthenes utitur. Verba Ciceronis, quo adsuescat iuuentus ad iudiciū per exempla, subiiciam. At uero in M. Cœlio (dicam iam enim cōfidentius de studijs eius honestis, quæ audeo, uestra quaedam fretus sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac lustrorum libido, quod quidē uicium uentris & gutturis, non modo non minuit ætas hominibus, sed & auget. Amores autem, & hæ delicie, quæ uocantur, quæ firmiore animo præditis, diutius molestæ non solent esse, mature enim & celeriter deflorescunt, nunquā hunc occupatum, impeditumq; tenuerunt. Haftenus Cicero thema seu complexionem syllogismi proponit: Cœlium non esse uoluptarium, dehinc

Locus M. Ciceronis in oratione pro Cœlio.



## D I A L E C T I C E S

dehinc minorem producit, instructissimam illam quidem, ut omnia, his uerbis: audistis cum pro se diceret, audistis antea cum accusaret (defendendi causa hæc, non gloriandi eloquor) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque uerborum, quæ uestra prudentia est, perspexistis, atq; in eo non solum ingenium elucere eius uidebatis, quod sæpe etiamsi industria non alitur, ualet tamen ipsum suis uiribus. Sed inerat (nisi me propter beneuolentiam forte falleret) oratio & bonis artibus instituta, & cura, & uigilijs elaborata. Hactenus Cicero argumenti minorem duxit, quam exornat, munitq; adiecta maiore. Omnis enim maior in duabus prioribus figuris, confirmatio quædã gnomica est. Sic uero ille, atq; scitote iudices, eas cupiditates, quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia, de quibus disputo, non facile in eodẽ homine esse posse, fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desyderio, cupiditate, spe nimia, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, uerũ & cogitãdo possit sustinere: atq; hæc forma maior est argumenti. Possem hoc genus innumera, cũ ex prophanis, tum ex sacris oratoribus producere, nisi nollem iuuentutẽ obscuris alicubi exemplis onerare. Obseruet quisq; argumentorum ordinem, rationemq;

Gnomica confirmatio, moralis sententia est.



C O M P E N D I U M

diligenter, in optimis quibusq; scriptoribus, quo & illorum sententias certius adsequatur, & imitari, si quando usus postulabit, facilius queat.

M O D I S E C U N D A E F I G U R A E  
Q V A T V O R, N E G A T I V I  
O M N E S.

Ces Nemo bonus est amans gloriae,  
a Omnes philosophi sunt amantes gloriae, ergo,  
re Nemo philosophorum est bonus.

Cam Omnes boni sunt contemptores gloriae,  
es Nemo philosophorum contemnit gloriae, ergo,  
tres Nemo philosophorum bonus est.

Fes Nemo uoluptariorum est studiosus literarum,  
ti Coelius est studiosus literarum, ergo,  
no Coelius non est uoluptarius.

Ba Omnes pii grati benefactoribus sunt.  
ro Nero non fuit gratus benefactori, ergo,  
co Nero non fuit pius.

De reductiōe  
ostensiuā.

Postulat hic locus, ut & de reductiōibus, quas uocant, non nihil dicam, quibus secundae figurae syllogismi, in primam figuram conuertuntur. His equidem non tam ostendi, probariue syllogismos censeo quam



D I A L E C T I C E S

quàm mutari, ut iam non eadem sit ratiocinatio, idēq;  
 argumentū quod prius erat, nempe mediū, in quo tota  
 uis argumenti consistit, ratione mutata: ut in animan-  
 tium corporibus citra prodigij speciē, ita in syllogismis  
 nihil transferre licet. Deinde, cū fateantur scholæ, nō  
 posse omnes modos conuerti in primam figuram, quor-  
 sum attinet, iuuenum ingenia ineptis reductionū for-  
 mulis onerare? Porro, miror quid in mentem uenerit  
 scholis, cur ad formam syllogismorum declarandā, &  
 reductionem per impossibile, quam uocant, aduoca-  
 rint, cum ea ad materiam tantum syllogismorum, hoc  
 est, ueritatem & falsitatem pronunciatorū excutien-  
 dam pertineat. Quid enim ordini iuncturisq; syllogis-  
 mi lucis accesserit, per pronunciatorum cōprobatio-  
 nes, quæ materiam non formam syllogismi adiuuant?  
 ut in ædificio, item in statua, aliās materia, aliās stru-  
 ctura formaq; spectatur, ita syllogismorum formam,  
 collocationem, & compagem, seu mauius harmoniam  
 uocare, non materiem, hoc loco spectamus. Quo or-  
 dine, q̄ apte cohæreat conclusio cū maiore ac minore,  
 quæ tribus terminis cōiunctæ sunt, hic potissimum ob-  
 seruabis. Est autem reductio per impossibile, planè  
 Rhetoricum schema, quo à contrario argumentamur.  
 nam, sermonis natura fit, ut comparatione contrario  
 rum, oīa argumenta, clariora, magisq; perspicua fiant

Reductio per  
 impossibile,  
 schema est  
 rhetoricū quo  
 à contrario ar-  
 gumentamur.

E f





## COMPENDIUM

ut si declaraturus sis, quæ scæda res bellum sit, non queas aptius, quæ, si cum pacis commodis bellorum mala conferas. Quantum laudis sobrietas mereatur, clarissime ostenderis, si, quid sit in ebrietate turpitudinis et incommodi declaraveris. Hoc genus innumera sunt exempla, cum in prophanis, tum in sacris scriptoribus, nec ullo, quod sciam, schemate libentius uti Rhetores videtur, quæ comparatione contrariorum, de quo infra in locis argumentorum plura dicemus: atque huc quidem reductio per impossibile pertinet, hætenus obscure sordideque à scholis Dialecticorum vulgaribus tractata.

### DE TERTIA FIGURA SYLLOGISMORVM.

*Tertia figura  
reijcienda.*

Tertia figura est, in qua medium subiecti uice, in maiore ac minore fungitur, quæ ratio argumentandi, est et à communi sensu aliena, nam cum in omni argumentatione præstandum sit, ut medium sit apta causa, cur prædicatum conclusionis de suo subiecto dicatur, et tertia figura, medium ad conclusionem non satis adcommodet, non est ut ea utamur, et inepte adcommodari medium ad conclusionem intelliges, cum tertiæ figuræ syllogismum in Enthymema solueris, nam, cum syllogismi commode in enthymemata solui possint, tertiæ figuræ ratiocinationes non possunt, quia medium male cum conclusione quadrat, ut si sic argumenteris.

Homo



## DIALECTICES

Homo est animal,  
Homo est substantia, ergo,  
Substantia est animal.

Iam qualis erit ratiocinatio, si enthymemate utaris  
ut homo est substantia, ergo substantia est animal,  
quo modo si quis argumentetur, quid quaeso effecerit?  
Adijcerem equidem plura argumenta, quibus apud  
me fit, ne tertiam figuram planè probem, nisi nollem  
iuuenum animos argutijs impedire. Hoc enim ago,  
ut explicem Dialectica, non ut obscurem.

### FINGUNTUR MODI FIGURAE TERTIAE SEX.

- Da Omnis homo est substantia.  
rap Omnis homo est animal, ergo,  
ti. Quoddam animal est substantia.  
Fe Nullus homo est lapis,  
lap Omnis homo est animal, ergo,  
ton Quoddam animal non est lapis.  
Dis Quidam homo est substantia,  
a Omnis homo est animal, ergo,  
mis. Quoddam animal est substantia.  
Da Omnis homo est substantia,  
tis Quidam homo est animal, ergo,  
i. Quoddam animal est substantia.  
Bo Quidam homo non est lapis,

Ff ij



## COMPENDIUM

car Omnis homo est animal, ergo,

do. Quoddam animal non est lapis.

Fe Nullus homo est lapis,

ris Quidam homo est animal, ergo,

on. Quoddam animal non est lapis.

Atq; hæ sunt syllogismorū figuræ, quarū duabus recte  
Duæ tantum uti queas, tertiam repudiari uelim. Quicquid argu-  
figuræ probā mentorum in Rhetorica themata incidit, colliges  
tur, tertia re concludesq; in syllogismi formam, ut uim argumenti,  
ijcitur. probis circumscripti formulis, certo comprehendas.

Nunc de reliquis argumentandi formis, quas fermè li-  
cebit in syllogismos conuertere, & ad syllogismi stru-  
cturam, ceu regulam exigere.

## DE ENTHYMEMATE

Observandum est accurate, quod admonuimus su-  
pra, de syllogismo, ut Dialecticis cum Rhetoribus  
conueniat. Eadē enim ratio argumentandi apud Rhe-  
tores & Dialecticos est, eademq; argumentorum stru-  
ctura, nisi q, certior Dialectica, liberior Rhetorica  
est, quare, quem Dialectici syllogismum uocant,  
tribus uocibus aut duobus pronunciatis collectam con-  
clusionē, Cicero ratiocinationem uocat, Quintilianus  
Epicherema, sed in ratiocinatione, seu Epicherema-  
te, præter simplicis breuisq; syllogismi partes, à Rhe-  
Ratiocinatio. toribus probationes pronunciatorum numerantur.

Et



## D I A L E C T I C E S

Et inter Syllogismum & Epicherema (quod Cicero  
 ratiocinationem uocat) interessse Fabius censet, &  
 syllogismus constet necessarijs certisq; pronunciatis,  
 Epicherema probabilibus. Atqui, hoc materiae dis-  
 crimen est. Quod ad formam & structuram attinet  
 Epicherematis, planè sciant studiosi, idem esse Epi-  
 cherema seu Ratiocinationem Rhetoribus, quod Syl-  
 logismus Dialecticis est. Quod qui obseruauerit, fa-  
 cile explicabit Ciceronis & Quintiliani locos de ar-  
 gumentationum formis. Cæterum, ut hoc obiter ad  
 notem, uocabulum Epicherema, Græci pro quo-  
 cunq; argumento communiter usurpant, significatq;  
 ut ueteres exposuerunt, aggressionem, hoc est, sen-  
 tentiam, qua adorimur aut aggredimur propositum  
 thema, seu conclusionem. Omnis enim conclusio, est  
 thema probandum. Syllogismo proximum est, quod  
 Enthymema uocant, quo cum Dialecticis planè con-  
 uenit Rhetoribus, eandem enim argumentorum for-  
 mam, eodemq; nomine, Enthymema, & Rhetores  
 & Dialectici uocant. Est autem Enthymema imper-  
 fectus syllogismus, hoc est, aut maior cum conclusio-  
 ne, ut omnes ciuitates decet legibus constituere, Athe-  
 nas igitur decet legibus constituere. Atq; hic uides  
 omissam minorem. Aut minor cum conclusione, ut  
 nemo male uti uirtute potest, Bona igitur uirtus est,

Epicherema.

Enthymema.

Enthymema  
 imperfectus  
 syllogismus.



## C O M P E N D I U M

Hic omiſſa maior eſt, id bonum eſſe, quo nemo male uti poteſt. Abſolues igitur Enthymema, adiecta, aut maiore, aut minore propoſitione. Nam utra deſit, ipſe naturæ ſenſus indicat, & exercenda eſt iuuentus. Partes Enthymematis dicuntur, antecedens, & conſequens. Quod ſi in antecedente & conſequente idē eſt ſubiectum, deeſt maior, ut

Clodius inſidiator eſt, ergo,

Hæc exempla

Clodius iure caſus eſt.

pertinent ad Deeſſe maiorem uides, iure inſidiator, ut hoſtis occi-  
primam figu- ditur. Quod ſi in antecedente & conſequente, idem  
ram ſyllogiſ- prædicatum eſt, deeſt minor, ut inſidiator, ut hoſtis  
morum. iure occiditur, Clodius igitur iure caſus eſt.

Et in hunc modū, mutilatus ſyllogiſmus, forma eſt Enthymematis. Quintilianus aliud ex pugnātib; dixit, aliud ex cōſequentibus &c. quæ diuiſio nō ad formā enthymematis pertinebat, ſed ad locos, unde oīm argumentorū materies petitur. Iam ſyllogiſmo in certis, & quæ cōuelli nō poſſunt crebrius, enthymemate frequētius in probabilibus utimur, quo fit, ut familiare ſit Poētis. Sic apud Ouidium omiſſa minore ſyllogiſmi, enthymema eſt, ex maiore & conſuſione. Quando ego non timui grauiora pericula ueris?

Ouidij locus.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Antecedens enim eſt, amorem ſolliciti timoris plenum eſſe, cōſequitur, ſe timuiſſe, uel quæ fieri non poſſent.



## DIALECTICES

Est ubi constat enthymema ex minore & conclusione, Locus Ouidij  
ut Queritur, Aegisthus quare sit factus adulter.

In promptu caussa est, desidiosus erat.

Atq; ut in priore formula plus est uirium, ita in posterioriore plus est gratiae. Studiosae iuuentutis erit has argumentorum formulas in Poetis, Oratoribusq; diligenter obseruare, quarum cognitio, mea quidem sententia, iudicij acrimoniam exercet.

### DE INDUCTIONE.

Inductionem Graeci epagogen uocant, argumentandi rationem naturae proximam, qua è singularibus uniuersale colligitur, quo modo uerisimile est, omnes artes repertas esse: comparatis enim multis, quae assiduus rerum usus suppeditabat, exemplis, uniuersalem quandam regulam statumus, ut cum uiderent medici, uinum chium, item Smyrnaeum, item Falernum calefaciendi uim habere, collegerunt inductione quadam seu epagoga regulam, uinum natura calefacere. Breuiter, quicquid usu deprehensum in artem coactum est, id inductione seu epagoga collegit ratio. Certior inductione syllogismus est, propterea in probabilibus crebrior usus est inductionis, planeq; in coniecturis regnat, ut si Catilina toties uolauit Rempublicam, uerisimile est eum semper infesto animo fuisse in Rempublicam. Anxie laborat schola,

Ff iij



C O M P E N D I U M

Quomodo cōueniat induc-  
 Etioni cū syllogismo .  
 in reducenda inductione ad syllogismum, ceu ad amu-  
 sim, neq; enim alia argumentandi forma certior est  
 syllogismo, sed illud q̄ inepte faciant, non est huius  
 loci tractare. Planè syllogismo contraria forma ar-  
 gumentandi, Inductio est. Ab uniuersalibus ad singu-  
 laria syllogismus progreditur: Inductio à singularibus  
 ad uniuersalia. Immutaueris prorsus inductionum na-  
 turam, si in syllogismi formam coegeris. Iam & in-  
 ductionis duæ sunt tantum partes, antecedens, quod  
 singularium coaceruatione constat, & consequens  
 uniuersale, collectum è singularibus. At in syllogis-  
 mo tres partes sunt, Maior, Minor, & Medium.  
 Ergo, sicut enthymemati pars quædam syllogismi de-  
 est, ita & inductioni. In coaceruandis singularibus  
 præstandum est, ut aut omnia connumerentur, aut  
 diuersum quiddam non adpareat, ut si sic argue-  
 ris: Virgilius est albus, Cicero est albus, inepte con-  
 sequetur, omnem hominem esse album, quando di-  
 uersum adparet in Aethiopibus. Hoc argumentandi  
 genere nemo frequentius Socrate, apud Platonem usus  
 est, credo, quod uidebat proxime ad naturalem sen-  
 sum quadrare. Pluribus artificium eius persequitur  
 in libris de inuentione M. Cicero: tu ad unum ex-  
 emplum & reliqua, quæ in scriptoribus occurrent,  
 exige: Vinum Chium, item Smyrnaeum, item Cam-  
 panum



## D I A L E C T I C E S

panum, calefaciendi uim habet, nec compertum est aliter de ullo uini genere, in omni igitur uino, uis calefaciendi est.

### D E E X E M P L O .

Exemplum, quod Græci paradigma uocant, est aut similitum, aut dissimilium comparatio. A simili petitur, ut Timotheus apud Græcos, ita Sylla Romæ fortunatior, quàm prudentior fuit. Et in comparatione similitum, sæpe maius, sæpe item minus petitur, ut si Philosophi autorum suorum singuli placita tenent, quanto magis conuenit, Christianos dogmata seruatoris sui tenere? Et hac argumentandi figura, nescio an alia frequentius usurpetur. A dissimili, adeoque contrario libenter argumentamur, ualet enim comparatio contrariorum ad euidentiã, energiã uel causã, ut apud Liuium Camillus dissuadet migrare Veios, hortaturque, ne uelit populus Romanus sacra sua deserere. Hos omnes Deos publicos, priuatosque rites deserturi estis? quàm par uestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adulescente Fabio, non minore hostium admiratione, quàm uestra, conspectum est, quom inter Gallica tela digressus ex arce, solenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit: an gentilitia sacra, ne in bello quidem intermitti, publica



## C O M P E N D I V M

Dissimilia.

*Sacra, & Romanos Deos etiam in pace deserere placet? Formam huius generis per sese simplicissimam, licebit Rhetoricis schematibus exornare. Quid enim simplicius dicas, eo quod apud Poëtam est?*

*At non ille satum, quo te mentiris Achille,  
Talis in hoste fuit Priamo.*

Fabula.

Apologus.

*Observabit studiosus Lector in Poëtis, Oratoribus, Historicis, quae late pateat haec argumentandi ratio, & exemplorum quidem praecipuus est in consultationibus usus, ubi eventum nostrae causae praesumimus ex ijs, quae ab alijs eodem ferme consilio gesta sunt, ut apud Liuium Scipioni Hannibal ait. Quod tu nunc es, idem ego eram ad Trebiam, Thrasymenum, Cannas. Iam ad exemplorum rationem pertinent Poëtarum fabulae, Apologi, Paroemiae, Parabolae, & quae sunt huius generis, de quibus multa Quintilianus libro quinto. Orestis fabula usus est tempestivissime Marcus Cicero pro Milone, itaque hoc iudices, non sine causa, fictis fabulis, doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum qui patris ulciscendi causa, matrem necavisset, variatis hominum sententijs, non solum humana, sed & Deae sapientissimae sententia liberatum. Apologo seu aeno, sic enim ferme Aesopicos apologos uocant, usus est Horatius.*

*Quod si me populus Romanus forte roget, cur*

*Non*



## D I A L E C T I C E S

Non ut porticibus, sic iudicijs fruar iisdem,  
Nec sequar, ac fugiam, quæ diligit ipse, uel odit,  
Olim quod uulpes egroto cauta Leoni  
Respondit, refram, quia me uestigia terrent,  
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum. *Paroemia.*

*Paroemia* usus est M. Cicero pro L. Flacco, pro-  
uerbio fidem testibus abrogans, quo dicitur, Da mu-  
tuum testimonium: Parabolis sacra Christi doctrina  
referta est. Adijci & gnomæ seu sententiæ possent,  
quale est illud pro Deiotaro apud M. Ciceronem. Pe-  
reant amici, dum inimici unâ intercidant. Et Pau-  
lus Græci Poëtæ uersiculo utitur in Corinthijs. Cor-  
rumpunt bonos mores conuersationes prauæ. Sed de  
his in locis plura. Nunc satis sit admonuisse, hæc ad  
exempli formã, quæ planè simplicissima est, pertinere.

## D E C O A C E R U A T I O N E .

Cognata syllogismo coaceruatio est, qua res eius-  
dem ordinis, ceu gradatione quadam connectuntur,  
ut, quod Laurus est, arbor est, quod arbor est, sub-  
stantia est, ergo quod Laurus est, substantia est. Con-  
clusio syllogisticam imitatur, cum quæ præcedunt  
pronunciata non sint syllogistice coniuncta. Græci  
hanc argumentandi formam Soron, seu Soriten uo-  
cant: Aristotelici regula quadam in prædicamentis *Sorites coa-  
ceruatio.* *Regula præ-  
dicamentaria*



C O M P E N D I V M

expediunt, ubi docent quicquid de superiore dicitur, idem de inferiore dici posse, homo est animal, animal est corpus, homo igitur est corpus. In peruestigatione rerum obscurissimarum, uidemus usui fuisse Soriten doctis. In hunc ferme modum & Socrates colligebat, Deorum sunt omnia, Boni uiri Deorum sunt amici, & amicorum omnia sunt comunia, ergo & bonorum uirorum sunt omnia. Sic Diophantus Themistoclis filius. Quod ego uolo, idem mater uult, quod mater, idem Themistocles, quod Themistocles, idem populus Atheniensis, ergo quod ego uolo, idem uult populus Atheniensis, Elegantiß. Paulus in epistola ad Hebræos, Sacerdotes Mosaici sunt minores Abrahamo, Abrahamus minor est Melchisedeco, Mosaici igitur sacerdotes minores sunt Melchisedeco. Iam Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec, igitur Christo minores sunt sacerdotes Mosaici. Valet hæc formula certius in ordine rerum eiusdem prædicamen-  
 In contingenti, adeoq; in axiomatis necessarijs. In contingentibus per Soribus non semper apte colligitur per Soriten, ut si arguten male colligenteris: studiosi literarum sunt amantes ocij: amantes ocij sunt segnes: studiosi igitur literarum sunt segnes. Iam & obseruandum est, ut argumenti partes, eadem inter se ratione cõferantur, ut in superiore argumento, aliud studiosorum, aliud segniũ ocium est.

Captio



## DIALECTICES

Captiones quaedam reliquae sunt, Crocodylites, Asystaton, Antistrephon, quas, quando ad rei iudicium non ita multum faciunt, satius visum est omittere. Facile enim omne fallax argumentum eluseris, si & collegeris in eas formulas quas praescripsimus, neque enim ullae aliae probae sunt, in primis autem si simplici syllogismo uinxeris, & caueris prudenter, ne quid amphibolon, aut ambiguum in nomine, aut uerbo ullo insit, quicquid enim apud Aristotelem fallaciarum est, ferme ambiguo exposito, aut obseruata proba syllogismi forma, deprehendes.

Crocodylites  
Asystaton  
Antistrephon  
Obserua  
aequiuoca

## LIBER QUARTUS DE LOCIS.

Hactenus argumentorum formulas praescripsimus & lineas duximus, quibus circumscribi argumentum debet, quo ordine, quibus modis uelit sermonis natura conpingi sententiam, seu orationem, ad probandum thema quodcumque, accommodata. Iam de argumento sunt materiae praecipiemus, quae pars inuenit materiae, qua probes quod propositum est. Quae superiore libro tradita sunt, ad inuentionem proprie non pertinent,

Loci indices  
sunt materiae  
argumentorum



## COMPENDIUM

quæ iam inuenta sunt, quo modo connectas, docent.  
Hæc uero unde petas, quod dicendum est, indicant, ut  
ædificaturi, saxa materiemq; primû cõparant, deinde  
cõstruunt ex alijs, alias ædificij partes, ita disputaturi,  
primum quod dicant quærunt, deinde, repertum argu-  
mentû disponunt, syllogismorû formulis circûscribunt,  
enthymematis uinciunt, epagogis ornât, exemplis illu-  
strant, Sorite muniüt. Quare, si quod thema peruesti-  
gandû, propositum fuerit, ut Num liberalitas sit iusti-  
ciæ pars, ut Ciceroni uidetur, primum à locis petes  
de eo quid dici possit, deinde à formulis argumeto-  
rum, quomodo connectas, construasq; inuenta. **Loci.**  
enim sunt uelut signa quædam, quibus rerum, quæ di-  
ci tractariq; debent, capita indicantur.

In omni argumëto, rerû inuentio, & prima est, &  
difficillima. Nã disponendi rationem, ipsa ferè rerum  
conditio per sese præscribit. Quare operæ precium  
est, ea quæ inuentionem adiuuant, summa cura &  
diligentia meditari. Scripturus es epistolam aut oratio-  
nem, disputaturus es de rebus philosophicis, de iuris  
articulis, de sacris, quid scribas aut dicas, loci indica-  
büt. Aut alienã orationẽ iudicaturus es, certe consiliũ  
eius, nunq̃ deprehēderis, nisi spectaueris, quibus the-  
ma locis munitũ sit, tota. n. uis inuentionis, in locis  
posita est, ex quibus ceu fontibus oratio deduci solet.



## D I A L E C T I C E S

In omni themate quædã argumẽta, ipsa statim natura ingeniosis hominibus suggerit, sed pauca, quæ munien- da, exornanda, & amplificanda sunt, plurimum locorũ adminiculis. Adiuuat enim ars naturam cum in ple- risq; alijs, tum maxime in dicendo, & è Dialecticis lo- cis exoritur ceu fonte, copia orationis, quæ eatenus ad animi iudicium uocari potest, quatenus è locis dia- lecticis nascitur. Iam copia rationem q̄ facillime adse- quetur, qui ad nature fontes reuocari.

### L O C O R V M D I V I S I O .

Tum demum uideberis probe adsecutus esse locos, cū intelliges, in quo themate, quibus locis maxime utamur. Neq; enim oēs loci à Dialecticis traditi, ad Dialectica themata proprie pertinent, sed magna parte rhetores in illustranda oratione utuntur. Dialecticus paucis locis utitur, finitione, genere, specie, partibus, causis, euetis, nempe à quibus necessariae probationes petuntur, nam cū in uniuersum hoc agat Dialectica, sola necessaria ut q̄ certissima, & quatenus fieri potest, necessaria doctri- ceat, locis proprie utitur, à quibus necessaria argumẽta petuntur. Rhetorum est, q̄ maxime probabilia dice- re, quare & probabilium locis utitur. Nos rem Probationum paulo altius repetemus, indicaturi, & rhetorum & aliæ sunt, in Dialecticorum locos. Probationes aliæ inartificiales, artificiales aut quæ, à rumore, à testibus, à tormentis, à tabulis



## C O M P E N D I U M

ducuntur. Aliæ artificiales sunt, hæ signis, argumentis, & exemplis constant, nam his membris probationem artificialem Quintilianus absoluit.

### D E S I G N I S .

**Signa rhetori** Signa, sensu deprehensa mouent, ut ex eis aliud  
**cæ probatiōis** quiddam colligatur. Alienum propemodum hoc pro-  
 bationum genus ab arte uidetur. Signa duplicia sunt,  
 alia necessaria, ut peperit, non est igitur uirgo. Athe-  
 nis fuit, cum ille Romæ occideretur, non occidit igi-  
 tur. Alia probabilia, ut sepeliisti solus, igitur occi-  
 disti, atq; huiusmodi ferme est suspicionum materies  
 in coniectura libus. Quædam item signa præcedunt,  
 quædam in rem præsentem cadunt, quædam subsequun-  
 tur, quæ omnia in proposita questione diligenter con-  
 sideranda sunt, neq; enim ullum per sese signum ualet,  
 sed multa in unum congesta, uerisimilem probationem  
 efficiunt. A præcedenti, ut iam olim insidiatus est  
 Miloni Clodius, ut constat, probabile igitur est, &  
 modo insidiatum esse. Ab ijs, quæ in rem præsentem  
 cadunt, ut Armatus Clodius erat, inermis & impe-  
 ditus Milo, probabile est igitur, à Clodio Miloni in-  
 sidias factas. A consequentibus, ut profugit, probabile  
 est igitur, cædis reum esse. Huc occasio pertinet,  
 item, quæ spes conficiendæ rei fuerit, quid ex re com-  
 modi, quid incõmodi sequi potuerit. Exemplum habes  
 orationis

Signa coacer-  
 uata nonnihil  
 probant.

Occasio.

Spes.

Commodum.



## D I A L E C T I C E S

orationis insignis posita, longe pulcherrimū, oratio-  
nem M. Ciceronis pro Milone, neq; enim potest regu-  
lis cōprehendi signorum ratio, nisi quatenus circūstan-  
tius caussarum ac personarū ducimur, quis, quid, ubi, Circūstantie.  
quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

### D E A R G V M E N T I S.

Signa, ex factis sensui expositis, proprie ducūtur  
et cū causa fermè nascuntur. Argumentū est ratio pau-  
lo longius petita, quā ad causam disputantis industria  
adsert, cū signa, adferantur ad disputantē à causa. Pe-  
tuntur argumēta aliās à personis, aliās à rebus. Argumenta  
menta à personis ducta, cognata sunt signis, quod & aut à rebus  
nō sint, nisi uerisimiles probationes, & à personis ad aut à personis  
oratorē adferantur. Atq; hæ duæ probationū partes, petuntur.  
Signa & argumēta à personis ducta, parū dialecticis  
thematibus cōferunt, quæ necessarijs & euidentibus  
argumētis muniri debent, sed eas præscripsimus, ne  
quid locis argumētorū deesset, altoqui suas partes rhe-  
toribus relicturi. Iam & signa, et argumēta à personis Dialecticū the  
ducta, syllogismis aut enthymematis claudi & circum ma est quod  
scribi debēt, ut palām fiat, q̄ efficaciter probēt, nam q̄ proprie exa-  
apte cohæreat probatio cū themate nunq̄ uideris, nisi ete et necessa  
colloces in syllogismi, aut enthymematis, aut inductoria methodo  
nis, aut exempli formā, ut uerisimile non est literarū docetur.  
studiosos, uoluptatibus indulgere, Coelius studiosus



## COMPENDIUM

literarum est, non est igitur uerisimile, eū indulgere uoluptatibus. In hunc modum integris syllogismis signa & personarum argumenta comprehendere.

### QVAE A PERSONIS DVCUNTUR.

Loci personarū sunt, genus, natio, patria, sexus, aetas, educatio, disciplina, habitus corporis, fortuna, animi cōditio, adfectus, deniq; uitae cursus. Quos locos libentius praescribo, q̄ et usui futuri sunt pueris declamantibus laudes illustrium uirorum, in quibus argumentorum capita, ceu filum quoddam in oratione contextenda sequentur. Neq; enim ullo genere thematū, Fabio teste, scelicius exercetur adulescentia, q̄ laudandis aut uituperandis personis.

### GENVS.

A genere, ut cum similes, aut dissimiles parentū filij sunt, & liberis serē ex parētibus fluūt causae honeste aut turpiter uiuēdi. Atq; haec argumētandi ratio frequentior est, q̄ ut hic debeat exemplis pluribus de M. C. pro clarari. Sic Cicero pro L. Murena, Catonē cū proauo L. Murena suo cōferri, sed te domū iam deducā tuā: quenq̄ ne existimas Catone proauo tuo cōmodiorem, comiorē, moderatiorē fuisse, ad oēm rationē humanitatis? de cuius praestanti uirtute, cum uere grauiterq; diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum.

Natio



# DIALECTICES

## NATIO.

A natione, ut cū gentiū studia probamus, aut im-  
probamus: quo mō Paulus Apostolus Cretensiū leuita-  
tē uulgari uersiculo arguit, et Cicero testiū autoritatē  
eueuat, q̄ Græci sint, inquiens de Græcis, Tribuo illis li-  
teras, do multarum artiū disciplinam, non adimo ser-  
monis lepōrem, ingeniorū acumen, dicendi copiam,  
deniq; , & si qua sibi alia sumunt, non repugno, te-  
stimoniorum religionem & fidem, nunq̄ ista natio co-  
luit, totiusq; huiusce rei quæ sit uis, quæ autoritas,  
quod pondus ignorant. Hic retulerit singularum gen-  
tium, item familiarum decora, aut notas obseruare.

M. Ci. pro  
L. Flacco.  
Gentiū notæ  
apud histori-  
cos obseruen-  
tur.

## PATRIA.

A patria, perinde argumentum petitur, ut à na-  
tione, neq; enim ad instituendam uitam, patrij mo-  
res nihil momenti habent. Vt ille Dijs gratias agebat,  
q̄ Athenis natus esset.

## SEXVS.

A sexu, ut latrocinium facilius in uiro, ueneficiū  
facilius in muliere credas. Hoc loco cōmode uti queas,  
si ambitionem Tullie, uxoris Tarquiniij accuses, quæ  
minime muliebri ingenio, & arte regnum affectauit.

Sexuum notæ  
obseruandæ.

## ÆTAS.

Ab ætate argumentatur Mitio, excusans adules-  
centis delictum.



# COMPENDIUM

## EDUCATIO ET DISCIPLINA.

De disciplina  
Stoica, ex Ci-  
cerone pro L.  
Murena.

Hæc aliàs corrumpit, aliàs adiuuat & excolit in-  
genia, & ad immutandos animos nihil efficacius ea  
esse, multis compertum est exemplis. A disciplina  
M. Cicero argumentatur pro L. Murena. In Ma. Ca-  
tone iudices, hæc bona, quæ uidemus diuina & egre-  
gia, ipsius scitote esse propria, quæ nonnunquam re-  
quirimus, ea sunt omnia non à natura, uerum à ma-  
gistro. Fuit enim quidam summo ingenio uir Zeno,  
cuius inuentorum æmuli, Stoici nominantur, hu-  
ius sententiæ sunt & præcepta eiusmodi. Gratia sa-  
pientem nunq̄ moueri, nunquam cuiuspiam delicto  
ignoscere, neminem misericordem esse nisi stultum  
& leuem. Viri non esse, neq; exorari, neq; placari.  
Solos sapientes esse: si distortissimi sint, formosos: si  
mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiât, reges. Nos  
autem, qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules,  
hostes, insanos deniq; esse dicunt. Omnia peccata es-  
se paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec mi-  
nus delinquere eum, qui gallum gallinaceum cum  
opus non fuerit, q̄ qui patrem suffocauerit, Sapien-  
tem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re  
falli: sententiam mutare nunq̄. Hoc homo ingeniosissi-  
mus M. Cato autoribus eruditissimis iter inductus ar-  
ripuit, neq; disputandi causa, sed ita uiuendi. Reliqua  
qui





## D I A L E C T I C E S

qui uolet ex ipso M. Cicerone petat. Et in hunc modum præstiterit optimorum scriptorum exemplis uti, è quibus cognoscas, non modo argumentandi figurã, sed & quomodo illustres, & exornes argumentum, quid enim quæso potuit à M. Cicerone aut prudentius aut ornatius eo loco in Catonem dici.

### C O R P O R I S H A B I T V S

A corporis habitu, qualia sunt apud M. Cicero-  
nem in Pisonem. Iam ne uides belua? Iam ne sentis, M. C. in Pi-  
quæ sit hominum querela frontis tuæ? Nemo que-  
ritur Syrum, nescio quem, de grege nouitiorum fa-  
ctum esse consulem. Non enim nos color iste serui-  
lis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt,  
oculi, supercilia, frons, uultus deniq; totus, qui ser-  
mo quidam totius mentis est, hic in errorem homi-  
nes impulit, hic eos quibus erat ignotus decepit, fe-  
fellit, hic in fraudem induxit. Hinc argumentum  
queas petere, si Valerij Coruini describendum faci-  
nus sit, qui uasto & immani corpore Gallum quen-  
dam, impar ipse uiribus & habitu corporis, singu-  
lari certamine uicit.

### F O R T V N A.

A fortuna argumentamur, quom de seruitute, li-  
bertate, honore agimus, qualia sunt multa in Cice-  
ronianis orationibus, cum alibi, tum pro Deiotaro.

Gg ij



# C O M P E N D I U M

## A N I M I C O N D I T I O .

**Animi condi-** Non parum refert spectare, quomodo quisq; ad  
**tio .** factus sit, nam ex propensionibus animorum conie-

**E Poëtis com-**  
**modissime ad**  
**fectuum di-**  
**scrimina di-**  
**scas .**

cturæ admodum probabiles colliguntur, eiusmodi ar-  
gumēta sunt & apud Ciceronem pro Milone: Fecit ira-  
tus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor dolo-  
ris sui. Et de Auruspicum responsis: sed tamen mei  
facti rationem exponere illis uolo, qui hesternò die  
dolore me elatum, & iracundia longius propè digres-  
sum arbitrabantur, quàm sapientis hominis cogitata  
ratio postulasset. Nihil feci iratus, nihil impotenti  
animo, nihil non diu consideratum, ac multo ante  
meditatum &c. Atq; huc, in laudibus & uituperijs  
pertinent, uitiorum ac uirtutum formæ, prudentia  
rerum gerendarum, scientia, iusticia, temperantia,  
fortitudo. Contra imprudentia, iniusticia, intempe-  
rantia, temeritas, metus & similia.

Huc itē pertinet, res uel bene, uel male gestæ, his fa-  
ctorū consilia adde. Pertinent huc & personarum stu-  
dia, ut forenses alij, alij milites, alij mercatores sunt.

In personis hæc fermè requiruntur, quæ usu ueniēt  
declamaturis, aut iudicaturis causis, quibus personæ  
tractantur, ut pleræq; sunt. Et huius generis argu-  
menta, quanquam proprie ad Rhetores pertineant,  
nempe, quæ probabilia serè, & non necessaria sunt,  
tamen



## DIALECTICES

tamen Dialecticas formas induunt, quom aut syllogif-  
mis, aut epagogis, aut enthymematis uinciuntur, ut  
si argumenteris, Traiani adulescentia à bonis ma-  
gistris formata est, est igitur uerisimile, bonum prin-  
cipem Traianum fore.

### QVAE A REBUS DVCANTVR.

Vix tandem peruenimus ad eos locos, quibus Dia-  
lecticum thema proprie muniri solet, atq; adeo è qui-  
bus probationes necessariae, euidentesq; petuntur.  
His in hunc modum utere. Omne thema, aut sim-  
plex uox est, aut oratio. Simplex uox, non proba-  
tur, nec refellitur, nempe, in qua, neq; uerum, neq;  
falsum sit, sed exponitur. Iam quo ordine, quibus  
locis exponatur, supra, in ratione simplicium uo-  
cum libro primo absoluimus. Primum enim simplicis  
uocis finitio quaerenda est, deinde causae rei proposi-  
tae peruestigandae sunt, partienda posthac in species,  
aut membra. Oratio uero proprie aut probatur, aut  
improbatur, nam in oratione, proprie uerum aut  
falsum inest, eritq; haec probandi methodus. In om-  
ni pronunciato simplici duae sunt partes, subiecti-  
e & praedicatum, ut uoluptas est bonum: inde, ab  
utraq; parte, cum à subiecto, tum à praedicato, ar-  
gumenta trahentur. Proinde, si quod thema disse-  
rendum, probandum, reprobandumue propositum



## C O M P E N D I U M

Partes thema-  
tum inspici-  
endæ.

fuerit, dissoluere in partes, earumque finitiones, causas, species, ac membra perquire. Nam ex his argumenta colliges, ut si finitioni, causis ac partibus uoluptatis cum bono conuenit, planè bonum esse colliges uoluptatem. in eundem modum sunt et partes thematum in genere demonstratiuo, aut deliberatiuo peruestigandæ: ut si dehorteris à bello Turcis inferendo, primum belli percensebis incommoda generatim, deinde, qui Turcæ, et ut armati sint, quomodo nos instructi simus. Et cum Christiani sumus, non decere nos arma, quibus dictum est, gladio perituros, qui gladio dimicaturi sint. In laudibus prædicatur factum, ut Mutij Sceuolæ, quod priuatim ipsi, deinde et uniuerso nomini Romano, et honestum, et utile sit. Breuiter, expendat disputaturus partes thematis, cum in omni genere orationis, tum maxime in argutis et lubricis disputationibus. Atque hic uides, qui sit simplicium usus, et quanti referat in promptu habere simplicium uocum methodos. Neque enim muniri ulla sententia, solida efficaciq; ratione potest, nisi accurate perspecta natura partium thematis.

Sunt autem loci argumentorum, quæ à rebus petuntur. Finitio, Genus, Species, Commune, Particulare, Differentia, Totum, Partes, Causæ, Euentus, Pugnancia, Similia, Maius, Minus.



# DI A L E C T I C E S

## F I N I T I O .

Efficacissima & certissima probandiratio est per  
finitionem, quare & ad Dialectica themata proprie  
adplicari debet. Voco autem Dialectica themata, qui  
bus naturam rerum propositarum, causas, aut officia  
inquirimus, exacto & iusto ordine, idq; argumentis,  
quoad fieri potest, necessarijs & evidentibus. Hoc ge  
nus, alij apodixes, alij demonstrationes uocarunt.  
Quale est, si differas, liberalitatem esse iusticiam, ubi  
non laudatur, non suadetur liberalitas (nam hoc pro  
prie Rhetorum est) sed eius natura perquiritur. Iam  
quot finiendi genera supra indicavi, tot argumentan  
di loci, finitione comprehenduntur.

Quid diale-  
cticum thema

Ab etymologia, ut ciuitas est, ergo populi con  
sensus est.

A finitione, quæ essentiam rei explicat, ut bonus  
adfectus est, igitur & uirtus est.

A finitione causas notante, ut exortus solis est, di  
es igitur est.

A finitione ex accidentibus collecta, Fabrorum lon  
ge princeps est, ergo Dædalus est.

Obseruandum est in finitionibus, quod & supra  
monuimus, ut propriae sint, pariter enim finitionum  
locus à finito ad finitionem, & à finitione ad finitum  
duci solet, quod fieri nequit, nisi finitiones propriae



## C O M P E N D I V M

sint. Iam & in iudicandis finitionibus, plurimū ualeat argumenti conuersio, nam ita facile spectabis propria definitio sit, an non, ut propria est hæc, uirtutem esse bonum adfectum, quia utroq; modo ualeat argumentum, uirtus est, ergo bonus adfectus est: & bonus adfectus est, ergo uirtus est. Impropria est finitio, uinum esse quod inflammet sanguinem, neq; enim conuerti potest, hoc modo. Est quod inflamat sanguinem, igitur uinum est. Sunt enim pleraq; alia, quibus animantium corpora accenduntur.

### V S V S L O C I F I N I T I O N V M.

In locis non est aliud quo commodius, q̄ loco finitionum uti queas, nam, si natura cuiuspiam thematis peruestiganda sit, id quod Dialecticorum proprie est, plurimum per finitiones efficies, ut si quaeratur, num liberalitas pars sit iusticiæ, ut Cicero ni usum est, statim dissolue thema, partiumq; finitiones inter se compara, inter quas si conuenerit, necesse est, & inter ea conuenire quæ definita sunt, ut iusticia est, quæ cuiq; dat, quod debetur. Liberalitas est, quæ egenti cui opitulatur: iam quod liberaliter datur egenti, quanq̄ non debetur priuatim, publice tamen ciuitati uel humanitati debetur. Hinc colligitur, partem esse iusticiæ, liberalitatem, nempe quæ dat, quod publice  
blice



## D I A L E C T I C E S

bluce homini, seu ciui. debet. In hunc modum exerceat iuuentus communia themata. Num uoluptas sit bonum, Num uirtus sit foelicitas &c. peruestigatis singularum partium finitionibus. In genus suasorium uero non cadunt finitiones, nisi eae, quae ex causis conflatae sunt, ut infra indicabimus. In iudiciali controversia pro Cecina M. Cicero finitione usus est, & Rhetores statum quendam finitionum numerant, qui planè Dialecticis est controuersia de finitione, & loco finitionum à nobis comprehenditur. Iam & in Quid rhetor. Schematibus Rhetoricis finitio numeratur, & huic tribus locus si nō absimile schema, Notatio, quo commendatiorem finitionum conuolo studiosis finitionum locum. ferat.

### G E N V S.

A genere ad species ducuntur argumenta per negationem, ut Temeritas non est uirtus, igitur nec fortitudo est. Eodem modo & à communi, ad particulare ducuntur argumenta. Commune uoco, quicquid alio latius patet, ut uinum latius patet q̄ tenue uinū, homo latius q̄ bonus uir. Hoc loco libenter in exaggerandis causis utimur, plurimumq; ad copiam momenti habet, ut Nero, ne hominis quidem officium fecit, tantū abest, ut boni uiri fecisse officium credatur.

### S P E C I E S.

A specie ad genera, item à particularibus ad com-



## COMPENDIUM

munia argumentamur per affirmationes, ut fortitudo est, igitur uirtus est. Bonus uir est, igitur homo est. Quod si copiae in dicendo studes, fac, ut quocumque proposito themate, queras, quod eius genus, quae species, quod commune, quod particulare, à quibus si petiueris argumenta, recte propositam causam, tum munieris, tum illustraueris.

## DIFFERENTIA.

Nulla loco commodius, quàm differentia, uteris, sicubi discrimina rerum cognatarum indicabis. Nam ut supra **Differentiarum** ostendimus, differentiae sunt, quibus inter sese species eiusdem generis discrepant, quo fit, ut cognatarum specierum fines pulcherrime, notatis tractatisque differentijs, comprehendantur, ut homini & bruto conuenit genere, pariter enim homo atque brutum animalia sunt. Discrepat ab homine brutum, quod ipsum beneficio sermonis caret. Atque hic differentiae uocabulo completor proprium, & quicquid est, quo discrimina rerum proprie notamus.

Argumentamur per locum differentiae, haud aliter, atque solemus per finitionem. Est enim differentia longe praestantissima pars finitionis, ut homo est, igitur & intellectuale est, & rursus, intellectuale est, igitur & homo est. Ita, bos non est intellectualis, igitur nec homo. Plurimus huius loci usus est in cognatis



## D I A L E C T I C E S

natis rebus, ut in discernenda liberalitate à prodigialitate: parsimonia, à sordibus: fortitudine, ab audacia seu temeritate. Verum, quid attinebat hunc locum à finitione separare, in qua, ut nihil differentia præstantius est, ita nihil maiore cura tractari debet?

### T O T U M, P A R T E S.

Non raro à toto ad partes, & rursus, à partibus Totius & pars ad totum argumentamur, ut domus est, necesse est igitur totum locus ad tur & parietes, & tectum esse. Et rursus, parietes sunt rhetoricas divisiones & tectum, necesse est igitur domum esse. In hunc modum, & ex omnibus partibus coniunctis, totum colligitur, & ex toto partes.

Ex hoc loco pulcherrimam copiae formam nasci obseruabis, quæ totum commemoratis partibus, ostendit, ut qua re & senatui, & plebi damnum datur, eadem uniuersæ Reipublicæ damnum dari necesse est. Sic: oculos, os, uentrem, &c. denique totus monstrum est. Et ad amplificandam orationem hoc loco, haud alius commodior esse uidetur.

### C A U S S A E.

Et supra in finitionibus causas tractauimus, quo hic breuius absoluentur.

Causa est, unde aliquid consequitur.

Efficiens, est persona aut res, quæ aliquid efficit, ut Faber domum, pater filium.

Quatuor causarum formæ.



## COMPENDIUM

Materia est, ex qua fit quidpiam, ut ex ligno mensa.

Forma, est ipsa materiae species.

Finis est usus rei. Ab efficiente ducuntur argumenta tam dialectica, quam rhetorica. Dialectica, ut causa negata, et effectum negari necesse est, ut non genuit Traianus, ergo nec Traiano filius fuit. Rursum, adfirmata causa, et eventum adfirmari necesse est, ut genuit Traianus, ergo Traiano proles fuit. Sol oritur, ergo dies est. Atque in his propriae causae rerum spectandae sunt, non alienae, non enim apte collegeris hoc modo. Faber est, igitur domus est, sed faber aedificat, igitur domus fit. Iam et sua cuiusque causa spectanda est, a qua propria res sit, ut uirtus proprie a Deo transfunditur in humana pectora, est enim sua cuiusque causa.

Efficientium in peruestiganda rerum natura, et origine plurima, ut supra in finitionibus admonui, ratio habenda est, nempe, de quibus scholae uarie disceptant, ut quo autore, uera absolutaque uirtus in homine fiat, num per hominis industriam, an Dei spiritu, aut cur id industria hominis non possit. In quem modum, multa controuertuntur de causis efficientibus.

Usus est earum et in rhetoricis thematis, ut in laudibus, ducuntur argumenta honestatis a conditoribus et autoribus rerum, ut, quae prior laus est matrimonij  
quam



## DIALECTICES

¶ Quod diuinitus constitutum est? Est & ubi in litibus consilia, autoresque factorum tractatur. Propterea, hoc causarum genus diligenter tractat M. Cicero in Topicis, ubi in efficientibus numerat naturam, ut sol oritur, igitur dies est. Voluntatem, cui perturbationes, & adfectus animi & consilia subijcit, ut iratus erat, insensus erat, igitur probabile est, uim ab eo illatam. Casum, nam & in res communes, hominum multa fortuita incidunt. Valebit talis efficientium tractatio, ad exercendam copiam.

Interim & in efficientibus habenda est circumstantiarum ratio, nam nonnihil ad propositam questionem pertinebit, quo tempore, quo loco, apud quos quid factum sit. Diligenter enim circumstantiam temporis tractat Apostolus Paulus in Romanis, ubi collecturus, quod operibus legis non comparetur iusticia, à tempore argumentatur: Abraham iustum fuisse, ante circumcisionem, non comparatam igitur circumcisione iusticiam. Sed de circumstantiis supra monuimus. Tu obseruabis, hæc pertinere ad augendam amplificandamque orationem.

A materia formaque, rariora, quod sciam, argumenta petuntur, tamen fieri solet, ut materia comparetur, ut interest, ex auro sit, an argento cyphus, Ita à forma, ut quæ cyphi sculptura sit, quale illud est apud Virgilium in Bucolicis.

Circumstantiæ.

Pauli locus.



## C O M P E N D I V M

Quoniam tibi pocula ponam  
 Fagina, cœlatum diuini opus Alcimedontis.  
 Lenta quibus torno facili superaddita uitis.  
 Diffusos hedera uestit pallente Corymbos.  
 In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter?  
 Descripsit radio totum qui gentibus orbem?  
 Sic enim argumentaberis, Menelai crater aureus est,  
 melior igitur Menalca poculo, quod faginum est.  
 Eiusmodi comparationes rerū ex hoc loco peti solent.

**Fines.**

Finium præcipua sit cura. Neq; enim aliud dili-  
 gentius quæritur, q̄ quis usus rei sit. Proinde, à fini-  
 bus plurima ducuntur argumenta, cum à Dialecticis,  
 tum à Rhetoribus. Vt populus Romanus tueri urbem  
 uult, contra subitam hostium uim, ergo munit. Dia-  
 lecticus in peruestiganda rei natura, semper propositi  
 thematis proprium aliquod officium constituit, ut ho-  
 minis disserere, acute disputare, ciuilibus officijs suos  
 iuuare, sic iusticiæ, suum cuiq; tribuere, pacē tueri.  
 Et rhetores in commemorandis laudibus, item in sua-  
 sorijs, qui rerum fructus sint de quibus agitur, decla-  
 rant, ut in laudibus pacis, numerantur omnia pacis  
 commoda, studia rerum urbanarum, priuata, &  
 publica, literæ, mercimonia &c. Contra bellorum  
 incommoda, religionis contemptus, periuria, cædes,  
 stupra, uastationes agrorum, & similia.



## DIALECTICES

### EVENTA.

Quod effectus alij, nos euenta uocamus. Ab his perinde, ut à causis trahuntur argumenta.

Ab effectu causæ efficientis, ut dies est, ergo sol ortus est. Proles est Traiano, genuit igitur. Verbum Dei audit Cornelius, est igitur ex Deo.

A materia, Cyphus liquitur, nõ est igitur ligneus.

A forma, Volubilis est globus, est igitur teres.

A finibus, Agri uastati sunt, cæsi ferro cultores, bellum igitur fuit.

Exempla pro se quisq; diligenter uenetur ex optimis quibusq; scriptoribus, quæ dicturas aut scripturus imitetur. Nobis satis uisum est indicasse argumentandi modum. Neq; parum refert, quocunq; proposito themate, statim causas effectus ue cognoscere, imò, peculiaris est operæ perquirere, ex quibus quid sequatur, quæ cuiusq; rei causæ, qui effectus sint.

### PUGNANTIA.

A pugnantibus, & frequentia, & efficacia argumenta ducuntur. Et in amplificanda oratione uix ulli loco plus tribuitur, q̄ pugnantibus. Nimirum q̄ ut uulgo dicitur, lumen orationi, & ut Græci dicunt, enargian, id est, perspicuitatem, seu euidenciam adferunt. Quis enim non clarius percipiat belli mala, si cum pacis commodis conferantur?

Hh



## COMPENDIUM

Formæ pugnantium quatuor uulgo numerantur, Relatiuorum, ut pater & filius, à quibus trahitur argumentum in hunc modum, Constantinus Constantij pater est, filius ergo esse non potest: et rursus, Constantius Constantini filius est, pater ergo esse nequit. Relatiuorum naturam atque rationem petes è prædicamentis.

Contrariorum, quæ pugnantia qualitates sunt, ut calidum, frigidum, album, nigrum: in quibus recte argumentaberis hoc modo. Aqua calida est, frigida igitur esse non potest.

Priuationum, quæ cum formis pugnant (sequor enim & hic uulgi morem) ut cæcitas & uisus. Significant autem priuationes, non contrarias res aut formas, aut qualitates, sed tantum quarundam formarum aut qualitatum despoliationem. Cæcitas enim non est, nisi despoliatio uisus: tenebræ non nisi despoliatio lucis. In his item sic argumentamur: Tenebræ sunt, non est igitur lux.

Contradictoriorum, quæ propositiones sunt, inter quas nullo modo conuenit, ut Iohannes scribit, Iohannes non scribit, quæ nunquam possunt eodem tempore conuenire. Sed de contradictorijs & supra diximus. In his sic argumentamur, si uerum est pronunciatum: Cæsar uicit Pompeium, impossibile est, contradictorium pronunciatum: Cæsar non uicit Pompeium, non est enim contradictio, nisi in pronunciatis.

Vides,



## DIALECTICES

Vides, quæ sit in pugnâtib[us] argumentandi figura, ubi simpliciter altero proposito, & adfirmato, alterum tollitur & negatur, quod argumentandi genus, proprie uocarunt ueteres Enthymema. Nos uero Peripateticos secuti, Enthymematis uocabulo, paulo liberius usi sumus.

Huc pertinent, & differentiæ, & diuersæ species, in quibus necesse est, ut adfirmata una, reliquæ tollantur, ut Iohannes homo est, non est igitur brutum. Sic de causis rerum, ubi alienæ causæ tolluntur, licet argumentari. Ortus solis est diei causa, non igitur ortus lunæ.

### SIMILE.

Similium rationem attigimus superiore libro, ubi de exemplis actum est. Et ex similitudinis loco nascuntur loci paris, maioris, ac minoris, ut Quintilianus indicat.

A maiore. Si adulterum occidere licet, & latronem loris cedere licebit. Ex minore. Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Ex maiore negatiue, minus colligitur, ut Cicero non persuasisset, multo minus persuaserit Grammaticus aliquis. Ex minore colligitur maius adfirmatiue, ut hic Grammaticus persuasit, quanto facilius persuasisset Cicero.

Ex pari. Quæ poena aduersus interfectorem patris

Hb ij



## COMPENDIUM

iusta est, eadem aduersus interfectorem matris uideri iusta debet.

Supra admonuimus, ad similia exempla referendas esse parabolas, morales sententias, apophthegmata, hoc est, scite dicta, apologos, fabulas, & quicquid his cognatum est, quorum rationem Rhetores praescribunt. Et de locis quidem satis, reliqua usus docebit, quem nisi ad hoc negotium adhibueris, desperanda est tibi omnis differendi facultas.

## DE PROPOSITIONE HYPOTHETICA.

Consulto distulimus pronuntiati hypothetici rationem, in hunc usque locum, quod haecenus non uolebamur agere, nisi de simplicibus pronuntiatis & argumentationibus, nunc postulat locus, ut & de coniunctis propositionibus nonnihil dicamus. Primum pronunciatum hypotheticum, pluribus axiomatis simplicibus, coniunctione aliqua connexis, constat. Formas tres praescribunt.

Copulatiuum, quod copula coniungunt, ut Cicero disputat, & Milo defenditur.

Disiunctiuum, cuius partes seiunguntur, ut aut dies est, aut nox est.

Conditionale, seu rationale, cui, si, consequentiae  
nota



## DIALECTICES

nota præponitur, ut si homo est, animal est. Ex his formis contexuntur argumenta, uariæq; argutiæ, quas persecutus est pluribus Trapezontius, nos perstringemus paucis.

Ex copulatiuis sic argumentamur.

Et hō est, & bos est: Sed hō est, igitur bos est.

Quæ forma quantum ualeat, modo non disputo, sed cum ab usu remota sit, ego quoq; relinquo, quod interim dum argutias, quæ ex hoc genere uarie texuntur, meditaris, liceat in melioribus operam ponere. Nam, & iudicium copulatiuorum pendet ex ratione simplicium pronunciatorum, ita, ut recte cognita simplicium ratione, de copulatiuis facile iudices.

Ex disiunctiuo rectius argumentamur.

Aut hō est, aut bos est: Sed hō nō est, igitur bos est.

Aut hō est, aut bos est: Sed bos est, non igitur hō.

In forma disiunctiuorum, necesse est alteram partem conclusione colligi, alteram repudiari.

Ex conditionali, quod unum commode hypotheticon adpellari potest, frequenter argumentamur.

Si hō est, animal est: Sed hō est, igitur animal est.

Si hō est, animal est: Sed animal nō est, igitur hō non est.

Si sanus ē, nō ægrotat: Sed ægrotat, ergo, nō ē sanus.

Iudicium horum syllogismorum è materia petes,

Hh ij



## C O M P E N D I U M

non è forma, spectabisq; quatenus conueniat parti-  
bus primi pronuntiati inter se, num altera alterius sit  
caussa, aut effectus, num pugnent, num à genere  
ad speciem, à specie ad genus trahatur argumentum.  
In quibus regulas locorum obseruabis, ut pugnantium  
alterum adfirmes, alterum neques, ut ex causa pro-  
pria, proprium effectum, ex proprio effe-  
ctu, propriam causam colligas, ut à  
specie ad genus adfirmatiue, à  
genere ad speciem ne-  
gatiue argumen-  
teris.

F I N I S.

## EPITOME

DIALECTICES, THEO  
baldo Billicano autore,  
sequitur.



DIALECTICES

# HIERONY

MORICCIO, ADVLE

SCENTI OPTIMO, THEO

baldu Billicanus . S P D .



AGNA MEHERCLE  
spes est, Hieronyme Chariss-  
futurum aliquando, ut resi-  
piscat mūdus, ab ignorantia  
inueterata & inolita malo,  
tot & literis & literatis pas-  
sim renascentibus, ut

De conducendo tractet iam Rhetore Thule.  
contigit enim diuino munere, ut Germania, equis &  
armis, q̄ Musis & literis aptior, tamē non postremas  
partes, in quouis etiam literarum genere obtinuerit.  
Magno sanē miraculo, cum ob cœli inclementiam,  
& crassitiem, tum ob hominum miram in discendo  
tarditatem & hebetudinem: sed ne perpetua esset fœ-  
licitas illa, & solidum gaudium, miscuit Sathan, om-  
nis uirtutis inimicus, & ueræ salutis, quod equidem  
fateri cogor, uastam & inauditam perniciem, in ipso  
statim limine, ut non iniuria, cum summo bono,

Hh üij



## C O M P E N D I U M

*summum malum prouenisse dicas, scilicet hæc est uirtutis umbra, ut quo maior est & illustrior splendor diuinæ beneficentiæ, hoc pestilentior sit umbra, quæ illum consequitur: sed tamen me consolatur, spes eximia, fore ut inuidia quandoq; maiora studia, contemptu suo, restinguant quicquid est enati & subsecuti mali, quod ueteres ipsi toties, & tot symbolis significârunt, periculo rei docti, ut non dubitem aliquando extinctum iri, malum Germaniæ, & literis & uirtutibus perniciosum. Te igitur pro uirili mea, & oro, & obsecro Ricci optime, ut quam cœpisti spem optimo cuiq; promittere, & cuius nonnullum specimen præbuiisti, eam præstes, q̄tumuis magno & duro labore: non nisi labore uirtus datur, & recte Isocrates dixit, uirtutis radices amaras esse, fructus dulces, & Græci χαλεπὰ τὰ καλὰ. Ego sanè uirtutum tuarum nonnulla portio, nunq̄ te hortari desinam, quin rectè, ad propositam gloriam, ut cœpisti, festines: neq; cohortabor solum, sed omnia quoq;, quantum per me fieri potest, nonnihil ipse commonstrabo, ut ad familiæ tuæ splendorem, & nominis dignitatem, ipse adcessionem fecisse non iniuria dicere. Quæso uero ut has interim qualescūq; præceptiunculas, breues sanè & paucas, obuias excipias: quod si multa desideras, memento non uolumen, sed epitomen, non  
absolu*



## DI A L E C T I C E S

absolutum, sed uix inceptum opus esse, puellis quos erudio scriptum, non prouectis: neq; alio nomine, q̄ ut his præceptionibus discant utcunq; Dialecticæ prima tyrocinia. Mihi hoc satis est, si uel gustum quendam tenera ætas imbibat, quarumlibet professionum, ut deinceps minore & cura, & labore, in liberalibus disciplinis instituat. Vale per IESVM Christum Ricci mi tu. Nordlingiaci Calend. Nouembribus. Anno M. D. XXVI.

## EPITOME

### DI A L E C T I C E S.

**Q**uid est Dialectice? Est differendi facultas, de quocunq; proposito themate.

Quid uocas thema? quod in questionem, uel in disputationem cadit. Ut omnis res de qua inquiritur.

Quotuplex thema? Duplex. Simplex, quod est res simplex, ut iusticia, ut uirtus, ut uoluptas. Compositum, quo dicitur alterum uel inesse, uel non inesse alteri, ut sit ne iusticia uirtus, sit ne uoluptas bona.

Quid inquiritur de simplici re? quid sit & q̄ multiplex, ut quid iusticia, & q̄ late pateat, & quàm multiplex sit.

Quid de composita re? Verum ne sit, an falsum,



## C O M P E N D I V M

in esse uel non in esse alterum alteri : ut an iusticia sit  
uirtus : An uoluptas sit bona .

### C A N O N E S .

Omni rem simplicem, definitionibus & diuisio-  
nibus docet inuestigare dialectice, ut de iusticia cogno-  
scenda, primo inquirit, quid sit : secundo, quod mul-  
tiplex iusticia, atque ita de alijs rebus propositis .

Res composita, argumentationibus peruestigatur,  
ut iusticiam esse uirtutem, probatur hoc argumento,  
quia est adfectus bonus : & fidem iustificare, proba-  
tur hoc argumento, quia securam reddit conscien-  
tiam de Deo .

Quaestiones de re simplici sunt : quid est : quotu-  
plex : simplex an multiplex : unum an plura .

Quaestio de re composita . Quare uerum sit, uel  
falsum, hoc quod dicitur, ut quare uerum sit iusticiam  
esse uirtutem . Quare falsum, uoluptatem esse bonam .

Ad quaestionem, quid est & quotuplex potest ali-  
ter atque aliter responderi, iuxta discrimina definitionum .

Ad quaestionem, quare uerum uel falsum, respon-  
detur item multifariam, ut in locis Dialecticis audietur .

Quot sunt ergo capita Dialectices ? Tria, Defini-  
tio, Diuisio, Argumentatio .

Definitio & diuisio, pertinent ad simplicia . Argu-  
mentatio, ad composita .



# DIALECTICES

## CANONES.

Qui uolet definire, diuidere, debet percognitas  
& in promptu habere, rationes quinque uocum præ-  
dicabilium. Speciei, Generis, Differentiæ, Pro-  
prii, & Accidentis.

Sola species definitur. Definitio constat genere  
& differentia, aut proprio, aut accidente.

Diuisio, est generis per differentias in species, aut  
totius in partes.

Qui uolet definire & diuidere, necessariū est, ut  
ordines rerum siue prædicamenta sciat, quibus & or-  
dines & discrimina cognoscet.

## DE PARTIBVS

### Dialectices.

Quot sunt partes Dialectices? Tres. Iudicium, In-  
uentio, Pars media.

Quid est iudicium? Est ratio simplicis, aut compo-  
sitæ uocis. Simplicis, sit ne res Species, Genus, Diffe-  
rentia, Proprium, Accidēs, Substātia, Qualitas, Quan-  
titas, Relatio. Compositæ: Sit ne uera, Falsa, Aliens,  
Negans, Vniuersalis, Particularis, Necessaria, Con-  
tingens, Impossibilis.

Quid est Inuentio? Est peruestigatio mediij, ad pro-  
bandū necessarij, ut quare alterum alteri uel insit, uel  
nō insit, necessario, cōtingēter: quare nō possit inesse.



## C O M P E N D I V M

Quid est media pars? quæ rationem subducit colligendi ex qualitate & quãtitate axiomatum, secundũ argumentũ siue medium redditum, ut quare uoluptas non est bona? Quia est fomes uitiorũ. Nunc collige.

Omnis uitiorum fomes est mala

Voluptas est uitiorum fomes, ergo,

Voluptas est mala

Pars Dialecticæ, quæ iudicium uocatur, in quo uersatur? In traditione prædicabilium uocum, prædicamentorum, & propositionum.

Pars Dialecticæ quæ inuentio uocatur, in quo uersatur? In traditione locorum Dialecticorum, hoc est, signorum, argumentorum, & exemplorum.

Pars media in quõnam? In figuris, modis, & terminis syllogismorum.

## I V D I C I V M D E P R A E dicabilibus.

Quid est definitio? est duplex, Nominis & Rei. Quid est definitio nominis? est expositio Grammatica nominis, ut Sacrilegium est sacræ rei ablatio. Quid est definitio rei? est quæ uel naturam uel conãtiones naturales rei explicat.

Quotuplex est definitio rei? quadruplex. Essentialis, Causalis, Partitio, Accidentalisis.



## D I A L E C T I C E S

Quid est { Essentialis, quæ habet uerum genus & differentiam, ut homo est animal rationale.  
| Causfalis, quæ ex causis constat, ut sonus est aër ictus.

| Partitio, quæ ex partibus, ut homo est quod constat anima rationali & corpore.

{ Accidentalís, quæ constat accidentibus.

## C A N O N E S.

Definitio maxime constat genere & differentia, si absit differentia, proprio: si hoc absit, accidente.

Definitio & definitum recurrant & conuertantur, ut est homo, ergo animal rationale. Est animal rationale, ergo est homo.

## D E D I V I S I O N E.

Diuisio, est rei late patentis, quâ patet, sectio.  
Duplex diuisio.

{ Generis in species, ut animalis in hominem, Scilicet asinum.

| Totius in partes, ut hominis in caput, uentrem, pedes.

## P R A E D I C A B I L I A.

Quot sunt uoces prædicabiles? Quinq; Species, Genus, Differentia, Proprium, Accidens.

Indiuiduū, est infimum sub specie ultima, quod nõ diuiditur, ut hic homo, hic color, hæc uirtus, hic pater.



## C O M P E N D I U M

Quorsum conducunt prædicabilia? Ad definiendū  
& diuidendum, quia species definitur per genus &  
differentias. Genus diuiditur per differentias in species

Species, est uocabulum cōmune proximū in  
diuiduo, quod primum occurrit in definiēdo  
indiuideo, ut homo.

Genus, quod primum occurrit in definienda  
specie, ut animal.

Differentia, est qua diuiditur genus in spe-  
cies, ut intellectuale.

Quid

Proprium, est propria naturæ indoles, ut la-  
chrymabilem esse, est hominis proprium.

Accidens, est uocabulū, quod significat rē na-  
turæ extraneam, ut sapientem, doctum, ni-  
grum, album esse.

Indiuiduū, est quod exprimitur per pronomē  
hic, hæc, hoc, ut hic homo.

Ad interrogationem per quid, respondetur uel spe-  
cies, uel genus. Per quale respondetur uel differentia,  
uel proprium, uel accidens.

Quotuplex est genus? duplex. Summū & Mediū.  
Summa sunt quatuor. Mediū, quod ponitur inter imā  
speciem & summū genus, ut quicquid inter substan-  
tiam & hominem ponitur, est medium genus, dicitur  
enim genus et species. Genus dicitur, quod habet sub  
se



## DIALECTICES

*se speciem. Species, quæ habet supra se genus.*

Substantia summum genus

Corpus )

Viuum Sunt genera & species

Animal )

Homo ima species

Species etiã est duplex. Ima, quæ non est inferior, ut homo, pyrus. Media, quæ etiam est genus, ut animal.

### DE PRÆDICAMENTIS

Quibus nominibus ferè uocantur prædicamenta? his ferè. Ordines rerũ, q̄ in ijs uniuersitas rerũ à summo genere, ad imã speciẽ digeratur. Capita statuũ, q̄ sint summæ seu capita, inquirendi de re simplici proposita. Inquiritur. n. de qualibet: quid sit, quæ est substantia rei: quàm multiplex sit, quæ est quãtitas: qualis sit, quæ est qualitas: quem respectũ habeat, quæ est relatio.

Quot sunt prædicamenta? Quatuor. Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio. Aristoteles decem ponit, addit enim Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, Habitus, sed ad relationes coguntur.

Quomodo differunt prædicamẽta? Prima tria: Substantia, Quantitas, Qualitas, sunt rei sine respectu adceptæ. Relatio uero, est rei cũ respectu adceptæ, ut homo quatenus est homo, est substantia: quatenus lógus, ad quãtitatem: quatenus bonus, ad qualitatem pertinet.



## COMPENDIUM

At quatenus maritus, pater, dominus, ad relationē, hæc enim insunt respectu quodā ad uxorem, filium, seruū.

Prædicamentum relationis maxime necessariū est cognitu, plurimum enim refert qua ratione quid fiat. Sic Cicero de officio ex circumstantia temporis, personæ &c. differit. Sic Aristoteles omnes uirtutes cū respectu ait cōsiderādas. Et omnino oportet qui uolet de rebus differere, maxime cognitam habere rerum relationes, & circumstantias.

Quis, quid, quādo & ubi, propter quid, quō dicat. Iam in Euāgelio Christus iubet relationem habere prædicationis, ne porcis, ne canibus obijciamus, ergo prædicatio Euangelij, relationem habet &c.

Quid est ergo Relatio? Est ipse respectus rei, è loco, tempore, persona, ætate, conditione, sexu, actione, passione, collatione, natus.

Pater

Filius

Dominus

Seruus

Longus collatus alteri

Propinquus collatus alteri

Femina, Mas

Iuuenis, Senex

Diues, Pauper

Atheniensis, Germanus



## COMPENDIUM

Quot sunt species relationis, seu potius modi res conferendi? Sunt tres, iuxta numerum aliorum predicamentorum, Substantiae, Quantitatis, Qualitatis, innascitur enim in omnibus respectus.

Primus modus est agendi & patiendi: ita substantiae conferuntur penes actionem & passionem, ut pater filius: dominus seruus.

Secundus est, aequalitatis & inaequalitatis, & secundum hunc conferuntur quantitates, ut longum, alteri loco, tempus tempori, motus motui, mora morae.

Tertius est, similitudinis & dissimilitudinis, & secundum hunc conferuntur, ut Sapientes sapientibus, scientes scientibus, callidus callido, industrius industrio, clarus claro, album albo, serenum sereno. Atque haec plurimum conducunt ad progymnasiam laudandi & uituperandi, & maxime omnium ad comparationem. Ita comparatur celeritas rei gestae in bello, cum cunctatione, quae gloriae cessit & saluti.

Quid est substantia? Est ipsa rei natura. Vel est res per sese existens cui innituntur accidentia, ut sunt relationes, Qualitates, Quantitates.

Substantia.

Quantitas  
Accidens Qualitas  
Relatio



## COMPENDIUM

Quid est quantitas? Est mensura rei uel secundum magnitudinem, uel secundum multitudinem.

Magnitudo die große

Multitudo die uiele

Mensura eyn tailung

Quot sunt quantitatis species? Duæ, Continua & Discreta.

Quot modis res diuidi potest? Duobus, scilicet secundum magnitudinem, & secundum multitudinem.

Magnitudo & continuum idem sunt. Multitudo & numerus siue discretum, idem sunt.

Continuum, est cuius omnes partes sunt unum. Discretum, cuius quælibet pars separata est, ut decem homines.

Quot sunt species continui? Tres. Linea, Superficies, Corpus.

Linea, est longitudo

Superficies, est latitudo.

Corpus, est profunditas

Tres sunt ergo dimēiones continui. Longitudo, Latitudo, Profunditas.

Quot sunt species discreti? una, Numerus.

Numerus, est unitatum collectio.

Unitas, est principium numeri.

Numerus est duplex. Simplex, Compositus. Simplex



# D I A L E C T I C E S

plex, ut Binarius, Ternarius, Denarius. Cōpositus, ut Duodenarius. Numerus primus & minimus est binarius, maximus est denarius.

Quid est qualitas? Est secundū quam dicimur quales, ut à iusticia iusti, à fortitudine fortes, à temperantia temperati, ab officijs industrij.

Quot sunt qualitatis species? Tres. Corporalis, Animi, & Voluntatis.

	{	Color			
		Sonus			
Corporalis, ut		Odor			
	{	Sapor	{	Calidum	Durum
		Qualitas ta		Frigidum	Molle
	{	ctilis		Humidum	Asperū
			{	Siccum	Lene
	{	Sapientia			
		Intelligentia			
Animi qua		Prudentia			
litas		Memoria			
	{	Ars			
		Scientia			
	{	Fortitudo	{	Iusticia	
		Temperantia		Amicitia	
Voluntatis		Liberalitas			
		Benignitas			
	{	Verecundia			







## DIALECTICES

Quot sunt diuisiones propositionum? Quinq; .

Vera, quæ consentit rebus, ut homo est animal

Prima Falsa, quæ non consentit rebus, ut homo est brutum.

Adfirmatiua, qua alterum alteri dicitur inesse, ut homo est animal.

Secūda Negatiua, qua alterum dicitur non inesse alteri, ut homo non est asinus.

Vniuersalis, qua alterū dicitur inesse, uel non inesse alteri uniuersim, ut omnis homo est animal.

Quid est propositio

Tertia Particularis, qua alterum dicitur inesse, uel non inesse alteri, ex parte aliqua, ut quidam homo est prudens.

Indefinita, qua alterū dicitur inesse, uel non inesse alteri sine signo, ut homo est animal, homo est albus.

Necessaria, qua prædicatum necessario inest subiecto, ut homo est animal, homo est intellectualis.

Quarta Contingens, qua prædicatum ut inest, ita potest non inesse, ut homo est doctus.

Impossibilis, qua fieri non potest, ut prædicatū inest subiecto, ut homo est brutū.



## C O M P E N D I V M

Quid est propositio

Simplex, qua sine coniunctione prædicatum dicitur de subiecto, ut homo est animal.  
Quinta Composita, qua cum coniunctione dicitur aliqua de aliquibus, ut si furatus est rem sacrã, est sacrilegus.

### C A N O N E S.

Propositiones indefinitæ, nunc uniuersales, nunc particulares sunt, ut tulerit prædicatum, necessarium, uel contingens.

Signa uniuersalia, faciunt uniuersalem, particularia, particularem propositionem. De signis uide Eras. primum de uerborum Copia.

### DE PUGNANTIA PROPOSITIONUM.

Quid est propositionum pugnantia? Est qualitatis & quantitatis propositionum oppositio.

Qualitas, est adfirmatio, negatio.

Quantitas est uniuersale, particulare.

Quotuplex est propositionum pugnantia? Triplex. Contraria, Subcontraria, Contradictoria.

Contraria, est oppositio uniuersalium in qualitate & quantitate.

Subcontraria, est oppositio particularium in qualitate & quantitate.

Contradicens, est oppositio uniuersalis & particularis in qualitate & quantitate.



# DIALECTICES

Omnis

Contraria

Nullus

Contradi

ctoria

Contradi

ctoria

Quidam Subcontraria Quidam non  
Quorsum conducit pugnancia? Ad confirmandū  
& confutandum, ut sciam quid cui, & quomodo pug  
net, aut non pugnet.

## CANONES.

Contrariae posibles, possunt ambæ esse falsæ.

Contrariae necessariae & impossibiles, nunq̄ pos  
sunt ambæ simul ueræ, aut falsæ esse.

Subcontrariae posibles, possunt ambæ esse ueræ.  
Impossibiles uero & necessariae, non possunt.

Contradicentes siue posibles, siue impossibiles,  
siue necessariae, nunq̄ possunt ambæ uel ueræ uel falsæ  
esse simul.

ii iij



COMPENDIUM  
SECUNDA

PARS DIALECTICES,

INVENTIO.

**Q**uid est Inuentio? est mediij, siue argumenti ad probandum necessarij, peruestigatio.

Cur de Inuentione statim sub tractatum propositionum doces? quia Inuentio docet medium, & causam cur ueræ, falsæ, necessariæ, possibiles, impossibiles sint propositiones. Porro nemo colliget, nisi prius inuento medio.

Quid est Medium? Est causa cur prædicatum, uel insit uel non insit subiecto, uere, false, necessario, contingenter, impossibiliter.

Quomodo ergo inuenitur Medium probandi ueritatem uel falsitatem rei propositæ? Per locos Dialecticos.

Quid nam est Dialecticus locus? Est quasi signum quoddam, quo monemur, unde petamus causam siue medium, siue argumentum disserendi.

Quotuplices sunt loci? Duplices, sicut etiam probationes, scilicet, Artificiales & Inartificiales.

Quinam sunt artificiales? Qui offerunt medium ex themate natum. Qui inartificiales? Qui adferunt medium extrinsecus.



## D I A L E C T I C E S

*Da locos inartificiales.*

*Tabulae, Libelli, Chirographi.*

*Testimonia, Autoritates, Autores.*

*Rumores*

*Præiudicia*

*Tormenta, Questiones.*

*Proba aliquid per locum inartificialem. Si quis neget debitum, tunc per chirographum eius probo. Si quis neget solem esse terra maiorem, per autores Astrologos probo. Si quis neget fidem iustificare, per Apostolum probo. Si quis auaritia & luxu & impietate diffluentes, neget perdendos, probo præiudicio Dei in Iudeos & Romanos.*

## D E L O C I S A R T I ficialibus.

*Loci artificiales quomodo diuiduntur? Trifariam, quidam sunt signorum, quidam argumentorum, quidam exemplorum.*

*Argumenta unde ducuntur? A personis & rebus.*

*Qui nam potissimum ad probandum & docendum ualent? loci argumentorum à personis & rebus. Signa enim maxime præparant, quæq; interim necessario etiã probent. Exemplum potissimum mouent, recreant, &c.*

## D E S I G N I S.

*Quot sunt diuisiones signorum? Duae. Prima, quedã*



## C O M P E N D I V M

sunt necessaria, quædam probabilia. Secunda, quædam antecedentia, quædam consequentia, quædam in re cadentia.

{
 Necessaria, quæ necessario inferunt, ut peperisse signum est, non esse uirginem. Da ergo à signo causam & medium, quare non sit uirgo? quia peperit.

|
 Probabilia, quæ nõ necessaria inferunt, ut hoc loco uisus es, ergo occidisti.

Signa Antecedentia. quæ præcedunt factum, ut ensem emisse, prolapsasse aciem.

|
 Consequentia. Expalluisse interpellatũ de cæde, guttas sanguinis in calceis inuentas.

|
 In rem cadentia. Cum cædes patrata est, non uisum &c.

{
 A loco

|
 A tempore

|
 Consequentibus

Loci signorum

|
 Præcedentibus

|
 In rem cadentibus

Unde media

sumamus

|
 Occasione

|
 Spe perficiendi & celandi

{
 Commmodo

## C A N O N E S.

Signa maxime ad causas coniecturales cõducunt, ubi quis factum inficiatur.



## D I A L E C T I C E S

Signa complura non modo præparant iudicem & auditorem, sed nonnihil mouent, adeoq; docent ueri simile esse quod dicitur.

### A R G V M E N T A P E R

sonarum.

Quomodo probo aliquid argumentis seu medijs, que ducuntur à personis? Ad hunc, ut quod animus alicuius non abhorreat ab aliquo flagitio, probas à studijs, quia nulli unq; honestæ rei operam dedit. Sic Cicero eleuat fidem testium à natione, quia sint Græci, qui ferè sint mendaces. Item, quod quidam non sit usq; adeo auarus probas, quia adulescens, qui profundit libentius q̄ quærat.

Quomodo ualent hi loci? maxime ad laudationem & uituperationem, progymnasmata Rhetorica, & sunt cognati signis.

Da locos argumentorum à personis? Sunt hi ferè.

Genus, Natio  
Patria, Sexus  
Actas

Scilicet Educatio & disciplina

Habitus corporis  
Fortuna, Conditio  
Studia, Res gestæ  
Consilia factorum.



# COMPENDIUM

Horatius .

*Nec imbellem progenerant aquilæ columbam*

Martialis .

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.*

*Rem magnam præstes Zoyle si bonus es .*

Virgilius .

*Soli cantare periti, de Arcadibus .*

*Pan etiam Arcadia si mecum iudice certet .*

*Pan etiam Arcadia dicat se iudice uictum .*

## DE ARGUMENTIS

à rebus .

Proposita propositione, ut homo est animal, à quo sumam argumentum seu medium ? uel à subiecto, uel à prædicato, maxime tamen à prædicato, ut q̄ homo sit animal, à subiecto probo, quia lachrymabilis est, lachrymat, numerat . A prædicato, quia sentit, mouetur, adficitur .

Qui nam loci sunt difficilissimi, & maxime certi ? loci argumentorum à rebus ductorum . Sunt aut̄ ferè .

┌ Etymologia

| Essentia

┌ Finitio      Notatione causarum

Scilicet      └ Descriptione accidentium

| Genus & species

| Differentia



## D I A L E C T I C E S

	Totum partes		
	Causse, Euenta	Efficiens	Materia
		Forma	Finis
	Repugnancia	Contraria, ut album nigrum	Relatiua, pater filius
		Cōtradicientia, sedet, nō sedet.	Priuantia cecum uidens
Scilicet	Coniugata, sapiens, sapientia, sapienter.		
	Adiuncta, atq; is locus maxime grauis est		
	Similia		
	Maius		
	Minus		
	Par		

Exempla addet præceptor uel ex Cicerone, uel Fabio, uel ipsis autoribus, quos prælegit.

### L O C I E X E M P L O R V M

Quinam sunt exemplorum loci? Hi serè

Similia	}	
Disimilia	}	exempla. Huc conducet historia
Contraria	}	Valerius Maximus etc.
Fabulæ		Apologi
Parœmiæ		Sententiæ
Chreia.		

Hi nouissimi loci, ceu stellulæ quædã erunt in oratiõe.



COMPENDIUM  
DE VLTIMA  
PARTE DIALE  
CTICES.

**Q**uid est argumentatio? est argumenti per orationem explicatio.

Quæ argumentationum species? Hæ ferè. Epagoge, Exemplū, Enthymema, Syllogismus, Coaccruatio.

Inductio quid est? Est plurium singularium collectio, ad probandum uniuersale: ut quod quenq; trahat sua uoluptas, probo.

Torua læna lupū sequitur, lupus ipse capellam,  
Florentem cithysum sequitur lasciuia capella,

Te Corydon ô Alexi, trahit sua quenq; uoluptas

Eandem argumentandi formam, Terentius in prima scena Andriæ habet, q; omniū hominum ingenia, à labore, ad libidinem sint procliuia.

Singularia quæ sunt? quæ sub aliquo comprehenduntur, ut sub homine, homo priuatus, publicus, sacer, prophanus &c.

Quid est exemplū? Est collatio similiū, aut dissimilium ad aliquid probandum.

Exemplum similiū, ut Imperatoris cū imperatore Apostolicum Apostolo, Episcopi cum Episcopo.



## D I A L E C T I C E S

Exemplū dissimilium . Philosophorū cū Christo .  
Si Philosophorum placita tanti fuerunt apud secta-  
tores , cur non tanti atq; adeo pluris sint Christi placi-  
ta apud fideles ?

Coaceruatio quid est ? Est prædicatum prædicati ,  
subiecto addere , ut homo est animal . Animal est ui-  
uum , ergo homo est uiuum .

Valet autem in quolibet ordine rerum , ubi supe-  
riora prædicantur , de inferioribus sui ordinis .

Quid est Enthymema ? Est imperfectus syllogis-  
mus , uel est ratio reddita , cū illato themate , ut Clo-  
dius est insidiatus , ergo iure est cæsus .

Quot sunt partes Enthymematis ? Duæ . Ante-  
cedens & Consequens .

Antecedens Clodius est insidiatus , ergo ,  
Consequens Clodius est iure cæsus .

### C A N O N .

Si prædicatum antecedentis & consequentis idem  
est , deest minor propositio , ut fiat integer syllogismus .

Si subiectum antecedentis & consequentis idē est ,  
deest maior propositio , ut fiat integer syllogismus .

### D E S Y L L O G I S M O .

Quid est Syllogismus ? Est duobus , pluribusue  
concessis , ad id quod nondum concessum est , per-  
uentio .



## D I A L E C T I C E S

Quæ sunt illa duo aut plura concessa? sunt aperta  
et notæ propositiones, factæ ex medio reperto in locis

Quod est illud nondum cōcessum? Est id quod erat  
probandum.

### C A N O N .

Id quod proponitur in disputationem, quod uoca-  
tur interim quæstio, interim propositio, illud est quod  
concluditur per syllogismum, & uocatur deinceps  
conclusio, ut utrum omnis uoluptas sit mala.

Quæ nam sunt partes syllogismi? Duæ proposi-  
tiones, & conclusio, & tres termini.

Propositio maior, in qua ponitur prædicatum  
conclusionis cum medio.

Propositio minor, in qua ponitur subiectum con-  
clusionis cum medio.

Conclusio, in qua non ponitur medium.

Maiores terminus, siue maior extremitas, est præ-  
dicatum conclusionis.

Minor terminus, seu minor extremitas, est subie-  
ctum conclusionis.

Medius terminus, siue medium, est terminus qui  
non ponitur in conclusione.

Quot requiruntur ad compositionem syllogismi?  
Duo. Figura & Modus.

Quid est figura? Est ordinatio mediæ in duabus pro-  
positionibus.

Quid



## DIALECTICES

Quid est modus? Est ordinatio propositionum in qualitate & quantitate.

Quot sunt figuræ? Tres, Prima, Secunda, Tertia. Prima, in qua medium subijcitur in maiori propositione, & prædicatur in secunda.

Secunda, in qua medium prædicatur in utraq;

Tertia, in qua medium subijcitur in utraq;

Medium nunq̄ intrat conclusionem.

### CANONES DE MODIS

& qualitate propositionum.

Propositiones nunq̄ possunt esse ambæ negatiuæ. Si propositionum una negatiua fuerit, necesse est conclusionem negatiuam esse, & econtrario.

### CANONES DE QUAN

titate propositionum.

Propositiones nunq̄ possunt esse ambæ particulares. Si una particularis fuerit, necesse est & conclusionem particularem esse, & econtrario.

Sciendū est, q̄ om̄is quæstio proposita, aut est universalis, ut an omnis uoluptas sit mala: aut particularis, ut an aliqua sit mala: aut adfirmatiua, aut negatiua, et hæc uocantur quatuor genera problematū.

Primo ergo inspice quātitatem propositionis quæ sita, dein qualitatem. Sub hæc uide ad quam figuram te conseras.

K E



# COMPENDIUM

## DE MODIS FIGURARVM.

Quot sunt modi primæ figuræ? Quatuor. Scilicet  
Vniuersalis adfirmatiuus, Vniuersalis negatiuus, Par  
ticularis adfirmatiuus, Particularis negatiuus.

┌ Vniuersalis, est cuius cōclusio est uniuersalis  
| Particularis, cuius cōclusio est particularis  
Modus Adfirmatiuus, cuius cōclusio est adfirmatiua  
└ Negatiuus, cuius conclusio est negatiua.

Ergo in prima figura colliges omnes quæstiones,  
Quot sunt modi secundæ figuræ? Tātum duo, Vni  
uersalis negatiuus, Particularis negatiuus.

Quot sunt modi tertie figuræ? Tantum duo. Par  
ticularis adfirmatiuus & particularis negatiuus.

Nunc ut breuiter admoneam quomodo syllogismū  
facias, adcipe.

Primo, ponitur quæstio eam uide quanta sit, &  
qualis.

Secundo, inquire per locos Dialecticos medium ad  
probandum eam.

Tertio. Vide in quotanam figura concludatur ea  
proposita quæstio. Nam in prima omnis quæstio con  
cluditur. In secunda tantum negatiue, in tertia tan  
tum particulares.

Quarto. Si uoles in prima figura syllogismum fa  
cere, dispone ut medium sit subiectum maioris propo  
sitionis



## D I A L E C T I C E S

sitionis, & prædicatum minoris. Sic in secunda, ut medium sit ubiq; prædicatum. In tertia, ut sit ubiq; subiectum. Dein adde prædicatum conclusionis uel questionis ad medium in primam propositionem, & subiectum conclusionis ad medium in secundam.

Quinto. Consydera quantitatem propositæ questionis, quam oportet in syllogismo probari, consydera etiam qualitatem, & confer te ad quatuor canones quos de modis posui, ita & facile colliges. Si quæ

stio fuerit adfirmatiua, tunc nulla propositio-

num poterit esse negatiua. Si quæstio fuerit

uniuersalis, tunc nulla propositionum

poterit esse particularis. Ad

hæc neq; ambæ negati-

uæ, neq; ambæ par-

ticulares poterūt

esse proposi-

tiones.

RF ij



 SCHOLIA

IN TOPICA CICE  
RONIS, AVTORE CHRI  
stophoro Hegendorphino.

CLARISSIMO VIRO CHRI  
STOPHORO TVRCAE I.V. DO  
ctori doctissimo, Reuerendissimi Cardi  
nalis & Archiepiscopi Moguntinen  
sis Alberti, Cancellario, Domi  
no suo obseruando, Chri  
stophorus Hegendorphi  
nus S. D. P.



VMBONAPARS  
discipulorum meorum, Tur  
ca doctissime, in iuris ciui  
lis studium incumbat, non  
potui non illis τὰ τοιαύτα  
Ciceronis prælegere, tum  
quod locorū cognitione, mi  
hi uix aliud magis conducibile ad iuris ciuilis scien  
tiam uidetur; tum quod sine interprete iuuentus illa  
capere



capere non potest. Cæterum cum inter prælegendū  
pleraq; annotassem, quæ mihi non parum ad exemplo  
rum Ciceronis intelligentiam factura putabantur, uo  
lui ea quantulacunq; essent, multis comunia facere.  
Nec; enim inter pauculos tantum amicos illud τὰ καὶ  
ὅλα πάντα, sed inter omnes Christianos locum ha  
bere debet, ut qui ideo uiuunt, ut alius alij prosit, ob  
sit nulli. Ego uero his meis scholijs non aliò specto,  
quàm ut commodem quàm plurimis, incommodem ne  
mini. Nolo uero quis putet, me cum meis annotatiun  
culis, doctissimos illos Boëtij commentarios in ordi  
nem redigere uelle, habeant illi honorem, quem iure  
merentur, ego, si nihil aliud præstiti, fontes tamen  
exemplorum Ciceronis, pro mea uirū aperui. Tibi,  
Turca eruditissime, quicquid est laboris dedicatur:  
partim ut habeas apud te, mei erga te amoris testē pig  
nusq;: partim, ut cum sis & Iurisconsultorum faci  
le disertissimus, & disertorum Iurisconsultissimus, si  
quis contra τὰ ἄχολια experiri uellet,  
pro tua fide, ea propugnes. Optarim  
mihi dari maiorem occasionem, meū  
aduersus te amorem testificandi,  
sed cū id fortuna mihi inuide  
rit, quicquid obtulit, boni  
consule. Vale.

KE iij



## CVM OMNIS RATIO:

**E**ST finitio Dialectices. Est enim Dialectica ratio differendi probabiliter de re qualibet proposita, pro ut cuiusq; natura patitur.

## QVID EST DISSERERE?

Est probabiliter de re proposita dicere, & hic est Dialectices finis.

## DVAS HABEAT

partes

Diuisio Dialectices. Est enim Dialectica iudicativa, quæ κριτικὴ Græcis dicitur, est & inueniendi, quæ Græce τοπικὴ appellatur, id est, localis, hoc nomine, quod locorum ueluti syluam quandam, è quibus argumenta depromi possunt, subministrat.

Iudicatiua Dialectica, seruit iudicandis propositionum copulationibus & iuncturis, idq; beneficio

Finitionis )

Diuisionis ) quarum rationes docet

Differentiarū )

Nam istam propositionem: Pietas est iusticia, re ete compositam esse, iudicatiua Dialectica docet, dū finit utrunq; propositionis terminum, dum in partes diuidit, partium officia, id est, propria inquirit.

Præterea iudicatiua docet, reperta argumenta digere



gerere, syllogismorum formulas contexere, Enthyma  
mata componere &c.

## INVENIENDI DIA

lectica.

Dicitur, quod inueniat argumēta, quod locos mon  
strat, è quibus argumenta erui possunt.

### IN IPSO.

┌ A finitione

Loci in Partitione

terni Ab etymologia

└ Affectis

### IUS CIVILE.

Exemplum istud est desumptum ex insti. ti. de  
iu. na. gen. Par. sed ius quidem ciuile. Item. ff.  
de iust. & iu.

### PARTIVM ENUMERATIO

Census, est aestimatio rerū & bonorum. Vindicta  
uirga erat, qua licitor prætoris, præmissis solennibus  
uerbis, seruum tangebatur, mox dominus apprehensum  
dextera manu uertebatur, id quod Appianus li. 4. bello  
rum ciuiliū docet. Persius Satyra 5. Quibus una qui  
ritem uertigo facit. Porro de libertate data per uin  
dictā, uide l. i. C. de lib. uin. & insti. de libertinis.  
Par. multis autem modis manumissio procedit.

Nec; testamento. C. de testa. manu.

Kf iij



## NOTATIO.

De uoce assiduus, Vide Gellium lib. 16. Cap. 10.

### CVM LEX AELIAS ANCTIA.

Gellius lib. 16. Cap. 10. putat ex tabulis duodecim decerptum.

Porro argumentum ab etymologia multum uirium habet, autore Barth. l. 2. Par. Appellato. ff. si cerpet. Appellata enim est mutui datio, ab eo, quod de meo tuum fit.

### A CONIUGATIS.

Si compascuus est ager, &c.

### EXEMPLA ALIA.

Hæres succedit in uniuersum ius defuncti L. cū hæres. ff. de diuer. & temp. præscrip. ergo hæreditas est successio in uniuersum ius quod defunctus habuit tempore mortis L. hæred. ff. de uerbo. signi.

Ius tuendi habet, proinde est tutor l. 1. ff. de tute.

Si homo non est in fructu, igitur fructuarius non fructur, ita colligit Brutus in l. uetus. ff. de usus.

### A GENERE.

Pecuniæ appellatione rem significari Proculus ait. l. pecuniæ. ff. de uerbo. signi. Porro rei appellatio latior est, quam pecuniæ l. rei. ff. co.

Porro exemplum Ciceronis mihi depromptum uidetur ex. ff. de au. & arg. lega.

A forma



## A F O R M A G E N E R I S .

Cur speciem, formam appellat, quia species confusum, & rude genus expolit. Ciceroni suffragatur glo. ultima in l. probabatur. ff. de iudi. Rei species, inquit, est forma.

De matrefamilias, uide Gellium lib. 18. Cap. 6.

Cæterum Ulpianus aliter de matrefamilias loquitur l. pronunciatum, Par. matrefamilias. Nam neq; nuptiæ neq; natales matrefamilias faciunt, sed boni mores, uide l. mater autem familias. ff. ad l. iul. de adul.

## A S I M I L I T U D I N E .

Questio est. An hæres usufructuario ædes collapsas restaurare cogendus sit: non uero cogi posse, Cicero hac similitudine probat, si quis serui usufructum legauerit, isq; seruus aliquo morbo deperierit, non cogitur hæres restituere seruum, ergo nec hæres collapsas ædes usufructuario restituet. Vide l. in ratione ff. ad L. Fab. Par. certū uero.

## E X E M P L A A L I A .

1. in insti. de legitt. patro. tute. Par. eo enim ipso  
2. In l. si rem legatam. ff. de excep. sicut hæres qui in uniuersum ius succedit submouetur excep. ita & legatarius debet submoueri, quasi unius rei successor.

KE 5



## D I F F E R E N T I A .

{ Confectum                      C. depositi l. super  
 Aurum                                      uocaneam duximus .

{ In massa constitutum .

{ In massa

| Lamina

Argen Signato                      ff. de au. lega. l. Quintus  
 tum .                      Supellectili                      Mutius, Par. argentum factū .

| Mundo

{ Ornamentis

Exemplum Ciceronis corroborat Ulpianus . ff. de  
 au. lega. Par. argento omni legato quod suum esset,  
 sine dubio non debetur, id quod in credito est ( pro  
 quo Cicero dixit in nominibus) hoc ideo, quia non ui  
 detur suum esse, quod uendicari non potest .

## A C O N T R A R I I S .

Ad intelligentiam exempli facit illud in insti. de  
 usufr. par. constituitur usufructus non tantum in fun  
 do & aedibus, uerum etiam in seruis & iumentis, &  
 cæteris rebus, exceptis ijs, quæ ipso usu consumun-  
 tur, ut sunt uinum, oleum, frumentum, uestimenta .

## I A M E S T Q V A E S T I O ,

An uir, qui legauerit uxori usumfructum bono-  
 rum suorum, etiam earum rerum, quæ ad uictum  
 pertinent, usumfructū legari, & probat Cicero quod  
 non, hoc argumento &c.



Exemplum Ciceronis legibus nixū est. Vusufructu  
arij est, boni uiri officium præstare l. item si fundo. ff.  
de usufr. id est, ut utatur, non abutatur.

Vtutur autem ijs rebus, quæ nobis utentibus per  
manent, ueluti domo, iumento &c.

Abutimur ijs, quæ nobis utentibus pereunt, cu-  
iusmodi est penus.

Iam cum uir mulieri usumfructum concesserit, ita  
uti, frui debet, ut interim salua rerum substantia, l.  
i. ff. de usufr.

#### AB ADIVNCTIS.

Vt exemplum Ciceronis recte intelligatur obser-  
uandum est.

1. Quid capitis diminutio sit, Vide insti. tit. redem.

2. Mulier caput diminuit, quum in uiri manum con-  
uenit, hoc est, cum rite nupta est uiro.

3. Quid bonorum possessio sit, est uero ius perse-  
quendi, retinendiq; patrimonij, quod alicuius fue-  
rat, cum moritur. ff. de bono poss. l. iij.

4. Possessio secundum tabulas, est possessio, que in  
tabulis testamenti scripta, scriptis in testamento hæ-  
redibus datur, quod si illi non adsint, uocatur substituti  
C. de bono. poss. secun. ta.

Iam quædam mulier que non caput minuerat, id  
est, nondū rite, uiro nupta erat, sine tutoris autorita-  
te, testamentum fecerat.



## Q V A E S T I O .

An secundum eas tabulas ex edicto prætoris, debeat dari possessio, respondet Cicero argumento ab adiunctis.

### H I C D I G N V M E S T

animaduersione

Quod qui in aliena potestate sint, testamenti condendi copiam non habeant, L. qui in potestate. ff. de testamen. Cuius generis sunt

Mulier, quæ non caput minuit.

Seruus, Puer, L. qua ætate. ff. de testam. L. si fr. C. qui testamen. fa. pe.

### S E N S V S E X E M P L I

Ciceronis est.

Si mulier quæ nondum caput minuit, id est, rite connubio iuncta est uiro, facto testamento citra tutoris consensum, bonorum possessionem scriptis hæredibus concedere potest, ergo etiam pueri, serui, alijs bonorum possessionem, facto testamento sine tutoris uoluntate, permittere potuerint.

De muliere non conuenit Ciceroni cum Vlpiano, qui in L. qua ætate. ff. de testam. dicit, quod femina post annum 12. testamentum condere possint.

Exemplū ab adiunctis est quoq; apud Cicero. 4. ad Heren.

Ab



## AB ANTECEDENTIBVS.

Rudolphus Agricola dicit, tunc duci argumētum ab antecedentibus, si proposita cōditionali argumentatione, ab eo quod in conditionali antecedens est, mox inferimus, ut si homo est, animal est, sed homo est, ergo animal.

## QVID REPVDIVM?

Est quod sponsæ fiebat L. iij. ff. de diuor. & L. inter stuprum & diuor. ff. de uerbo. signi.

## REPVDIVM SIC FIEBAT.

Res tuas tibi habe. Item, res tuas curato, & hoc nunciū est remittere.

## QVÆSTIO EST.

An liberorum causa, dotis pars apud uirum manere debeat, ubi uiri culpa factum est diuortium, uideamus quid antecedit, quid consequatur.

Antecedens est, uiri culpa factum est diuortium. Id antecedens, non patitur ut dotis pars mulieri pereat, quamuis prima repudij nunciū mittat, id quod firmat Vlpianus in L. dotis. Par. si res. ff. de iure dotium. Item in L. si cum dotem. Par. item pater. ff. solu. matri.

## A CONSEQUENTIBVS.

Boetius in commentarijs pulcherrima adfert de matrimonio Romanis licito, de matrimonio impari,



que & Celius libro 15. Cap. uigesimo, commemorat

Porro quod ait liberos, ex impari matrimonio susceptos, non patrem, sed matrem sequi, id probat tex. in L. item qui in potestate ff. de ijs qui sunt sui, uel alie. iu. ut in insti. de pa. pot. Par. Ius autem, item L. cum legitime ff. de sta. hom.

Boëtius putat exemplum quod adfert Cicero, esse argumentum ab antecedentibus potius, quam consequentibus. Cæterum Rudolphus, consequens esse dicit, quod ex conditionali manat, hoc modo, si mulier nupsit ei, quo cum connubium non esset. Agnoscis antecedens, qui nati sunt patrem non sequuntur, hoc consequens. Iam ex cōsequenti sic colligitur, si ij liberi patrem non sequuntur, efficitur, ergo pro liberis nihil apud patrem remanebit.

#### A R E P V G N A N T I B V S .

Rudolphus dicit repugnantiam dici, rerum per se dissidentem habitudinem, qua fit, ut alterum dici id esse, quod alterum non possit.

Quis primus hæres? qui primo institutus est. Quis secundus? qui, ut Boëtius inquit, hæredi instituto, substituitur.

#### E X E M P L V M .

Si quis pater in testamento filium suum hæredem instituat, scribatq; , si is filius impubes decesserit, nepos



nepos hæres esto, insti. de pupil. substi. Par. i.

REGVLA DIGNA OB

seruatu.

Quod quis iure accipit, ita accipit, ut ei iure auferrî non possit, l. id quod nostrum. ff. de reg. iu. & hoc quidem maxime uerum est, si quis aliquid ex defuncti libertate, quam liberrimam esse oportet l. i. C. de sacros. eccle. adipiscatur.

Sic facilius colligere potuisset Cicero. Quod quis iure accipit, ita accipit, ut ab eo inuito auferrî non possit, uxor uero recte iureq; etenim è testamento insti. de usufru. Par. usufructus: usufructum accipit, iure igitur non est auferendus.

AB EFFICIENTIBVS.

Quo exemplum Ciceronis rectius intelligas obserua hæc, si duo sunt ciues, qui communem habent parietem, si alter ciuuum iuxta parietem communem, solus ædificat, & uitium, id est, ruina ex opere futurũ timeatur, damni infecti cautio necessaria est l. inter quos, Par. i. ff. de dam. infe.

Quid damnum infectum? est damnum nondum factum, sed quod futurum ueremur l. damnum infectum. ff. co.

AB EFFECTIS.

Hic disce, quod simul atq; mulier in manum uirã



conuenerit, id est, matrimonium rite contractum sit,  
dotis dominium ad maritum pertineat L. i. ff. de iu. do.

#### A C O M P A R A T I O N E .

Vt exemplum Ciceronis assequaris, quædam te  
præscire oportet.

1 Contra quem institui possit aquæ pluuiæ arcendæ,  
instituitur uero contra illum qui fossa facta aquam plu-  
uiam agro alicuius damnum dare facit. ff. de aq. plu-  
ar. L. i. Porro ille aquam pluuiam arcet, qui non  
per spacia sua meare patitur.

2 Actio finium regundorum fit, quum agitur de di-  
uidendis agrorum finibus ff. de iudi. si. reg. Fines  
dicuntur regi, quoties unusquisq; ager proprijs fini-  
bus circumscribitur.

#### I A M E S T C O N

trouersia,

An prohibitum sit aquæ pluuiæ arcendæ actionem  
agitare in urbe, hoc est, urbanis prædijs: quod si  
obtinuerimus in urbe finium regundorum iudicium  
esse interdictum, quod maius est, efficitur aquæ ar-  
cendæ iudicium quoq; in urbe uetitum esse.

#### A P A R I .

Vt exemplum Ciceronis recte intelligas, primum  
repete ex Iurisconsultorum libris

Quid usucapio sit. Est uero usucapio, acquisitio  
dominij



dominij continuationem temporis, lege diffiniti L. 3  
ff. de usucap.

Deinde ad exemplum Ciceronis facit illud in insti-  
de usucap. Par. i. Iure civili &c. Locus est in prom-  
ptu.

### I A M C I C E R O S I C

colligit

Quemadmodum XII. tabularum L. cautum erat,  
fundum biennio usucapi posse, ita & aedes usucapi  
iudicabantur.

### A T I N L E G E

Est antipophora, id est, occurso obiectiois.

### V A L E T A E Q V I T A S

Responsio ad obiectioem.

Id est, rerum immobilium est aequa possessio, sed  
aedes & fundus, res immobiles, proinde cum fundus  
biennio usucapiatur, etiam aedes usucapiuntur.

### A B A V T O R I T A T E.

De exemplo Ciceronis, uide. ff. de seruitu.  
praedio.

### D E F I N I T I O N V M

duo sunt genera &c.

Hoc est, aut finiuntur res corporales, aut incor-

Ll



porales. Insti. de rebus corpo. & incorpora.

┌ Fundus est quicquid solo continetur L.

| quæstio. ff. de uerb. signi.

Res corpo  
rales      Stillicidium Festus Pompeus esse dicit cū  
             stillæ concretæ frigore cadunt.

┌ Mancipium seruus ab hostibus manu ca=  
└ ptus, insti. de iu. perso. Par. serui.

Supellex, est domesticum patrisfamilias instru=  
mentum, ff. de lega. supelle. L. i.

Penus est quicquid esu potuq; continetur. ff. de  
penu legata, L. qui penum.

┌ Usucapio L. i. ff. co. ti.

| Tutela. ff. de tu. insti. co. ti.

Res incor  
porales      Agnati sunt qui per uirilis sexus cogna=  
             tionem coniuncti sunt, insti. de lega.

┌ agn. tu. Par. Agnati.

I V S.

Vide Par. Scriptum autem ius, insti. de iu. na.  
gen. & ciui. & ff. de insti. & ia.

D I V I S I O N V M

autem & c.

Alienatio est omnis actus per quē dominium trans  
fertur, L. i. C. de fun. do.

Alia Boëtius explicat.

Sic



## S I C I G I T V R

Legatum est donatio quaedam à defunctore relicta,  
ab hærede præstanda, insti. de leg. Par. i.

Possessio est corporalis rei detentio animi & , cor  
poris adminiculo concurrente. Ita Azº in ti. de  
acqui. uel omitt. possess.

Hæreditas est successio in uniuersum ius, quod de  
functus habuit tempore mortis. ff. de uerbo. sig.  
L. hære.

## S O L E B A T I G I T V R

Aquilius &c.

Insti. de re. diui. Par. littorum quoq; usus pub  
licus & iuris gentium est, idem. ff. de acq. re. domi.  
L. quod in littore.

L. fluctus. ff. de uer. sig. littus est, quo usq;  
maximus fluctus hybernas à mari peruenit.

## S I P A R T I R I V E

lis tutelas.

Tutela	Testamenta	ff. de tute. C. eo. in insti de t.
	Legittima	
	Datiua	
	Fiduciaria	

Ll ij



## STIPVLATIONVM

Stipulatio est uerborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum facturumq; se id, quod interrogatus est, respondet L. 5. ff. de uerbo. obliga. Par. stipulatio. Porro partitionem stipulationum, uide ff. eo. & insti. de dim. stipula.

┌ Priuata  
└ Publica de quibus ff. eo. & insti.  
Iudicia Singularia  
┌ Uniuersalia C. de iudi. ff. eo.  
└ Particularia

## VT CVM POST liminium &c.

Postliminium, est ius amissae rei recuperandae ab extraneo, & in statum pristinum restituendae. ff. de cap. & postli. reuer. L. postliminium, & insti qui. mo. ius pa. pe. sol. Par. si ab hostibus captus.

VT IN FINITIMO.  
Vide Gellium lib. 12. Cap. 10.

QVO IN GENERE  
etiam Mancini caussa.  
De hoc Mancino Eutropius lib. Historiarum 4.  
sic



sic scribit . C . hostilius Mancinus consul, iterum cum  
Numantinis pacem fecit infamem, quam populus &  
senatus iussit infringi, atq; ipsum Mancinum hosti-  
bus tradi, ut in illo quasi autore foederis uindicarent,  
sed traditus Numantinis, minime est receptus, autore  
Floro epitome 76 . Vide Orosium lib . 5 .

LOCVS EX CONIUGA  
tione, finitimus notationi &c .

Sed discrepant tamen, quia Notatio fit nominis  
interpretatione, ut possessio dicta est, quasi pedū posi-  
tio L . i . ff . de acq . poss .

Coniugatio deriuatione uocum constat, ut aqua  
pluuia, pluere .

VT SI A Q V A M

Hoc est, aqua pluuia est, quæ pluendo colligitur  
L . i . ff . de aq . plu . ar .

I A M E S T Q V A E S T I O

Si fluuius igitur pluuia creuerit, quæritur an de-  
beat arceri, respondet hic Mutus, de quo Cicero de  
Ora . claris .

Crescere ea aqua dicitur, quæ colorem mutat uel  
increscit L . i . ff . eo . Par . idem ait .

Ll iij.



C V M A G E N E R E .

*A capite arcessere, id est, primum genus semper inquirere.*

*Sæpe etiam citra licet, hoc est, in medio collocatū adhibere satis erit.*

*Dummodo supra, id est, dummodo genus superius sit eo, de quo prædicatur.*

E X E M P L V M

S V B S T A N T I A

*Corporea*

*Incorporea*

C O R P V S

*Animatum*

*Inanimatum*

C O R P V S A N I M A T V M

*Sentiens*

*Non sentiens*

A N I M A L

*Intellectuale*

*Brutum*

*Homo*

*Cicero*

*Iam si est controuersia de homine an sit intellectua-  
lis, non opus est à capite genus eius arcessere, suma-  
tur genus proximum, & quicquid prædicatur de illo,  
prædicabitur & de specie.*

*Exemplum Ciceronis doctissime Boëtius explicat.*

*Comme*



## COMMODE ETIAM

tractatur &c.

ff. de dolo malo L. i. Par. Dolum malum. Seruius ita diffinit, machinationem quandam alterius decipiendi, cum aliud agitur, & aliud simulatur. Porro quibus modis fiat dolus malus, uide in multis legibus. ff. eo. ti.

## SVNT ENIM SIMILITUDINES &c.

Tutor qui datur impuberi L. i. ff. de tuto. Par. tutores sunt. insti. de tu. Par. tutores sunt.

Fidem præstare &c. ff. de administra. tu. insti. de satis datio. tu.

Socius. ff. pro socio L. si societatem, insti. de societate.

Si cui mandaris &c. L. i. ff. mandati, insti. de man.

## SI QVI FIDVCIAM.

Admodum exacte Boëtius noster, quis fiduciam olim accepisse dictus sit, disserit. Porro de hac fiducia loquitur Cicero pro Flacco, pecuniam adulescentulo grãdi scœnore, fiducia tamen accepta, occupauit.

Ll iij



Idem lib. septimo Epistolarum, ad Trebatium Iuris  
consultum. Sed quo nam modo ius ciuile defendes,  
cum omnia tua caussa facias, non ciuium, ubi porro  
erit illa formula fiducia, inter bonos bene agier oportet  
et c. Hodie fiduciarium mancipationem, uel uen-  
ditionem, uocamus uenditionem sub reducendi redhi-  
bendiq; lege factam: huius fiducia uestigia in .L. ad-  
huc extant, sed admodum obscura, ut cum tutela fi-  
duciae in insti. mentio fit

Procurator L. i. ff. de procura.

Q V E M A D M O D V M  
si in urbe et c.

Regundorum finium arbitri esse dicuntur, qui  
controuersias de finibus agrorum ortas, componunt,  
L. de modo agrorum arbitri dantur. ff. de iu. si.  
reg. Porro fines in agrorum tantum limitibus sunt,  
arbitri igitur finium regundorum in urbe dari non  
possunt. Iam argumentum ex simili nascitur, si in  
urbibus iudicium finium regundorum dari non po-  
test, ergo nec aquae pluuiae arcendae actio in urbe agi  
tari poterit.

E X E O D E M S I M I  
litudinis loco.

Com



Commemoratio plurium exemplorum, habet uim  
argumenti à similitudine.

Exemplum illud legibus firmari potest L. quidam  
C. de posthu. hære. insti. Item L. si quis. ff. eo.  
insti. de pupillari substi.

Hoc exemplum copiosius tractatur apud Cicero.  
in de perfecto Oratore.

### I N S V A M T U T E

lam uenisset

Boëtius exponit ante obiret, quàm testamentum  
facere possit.

Imperator in insti. de pupil. substi. Par. i. In su  
am tutelam uenerit, id est, antequã pubes factus sit.

### F I N G E A L I Q U E M

mancipio &c.

Quod non iure contrahitur, nullius est momenti  
L. non est uobis, C. de præd. & alijs re. mino=  
rum &c. Finge aliquem mancipio dedisse, id est, ab=  
alienasse, quod mancipio dari non potest, id est, ab=  
alienari, ut sunt res sacræ, ædes, dona ad ministe=  
rium Dei dedicata insti. de re. diui. Par. Res sacræ  
m. autem de non alie. re. eccles.

Ll 5



NAM QUID INTEREST.

*Argumentum ex antecedentibus est.*

*Cum in propositione conditionali sumitur, id quod est antecedens, & ab eo contexitur argumentatio.*

E X E M P L V M

*Si Cicero homo est, animal est.*

*Homo est antecedens, ab hoc sumitur argumentū.*

*Atqui homo est, igitur animal est.*

E X E M P L V M C I C E

*ronis.*

*Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri.*

*Pecunia signata, antecedens est, inde argumentum sumitur.*

*Sed pecunia signata argentum est, est igitur signata.*

A C O N S E Q V E N

*tibus*

*Fit argumentatio, quoties ex conditionali hypothetica id quod consequens est, sumitur in argumentatione, ut*

*Si*



*Si sentit, animal est.*

*Animal est consequens, inde sic colligitur.*

*Sed non animal est, igitur nec sentit.*

**E X E M P L V M C I C E R O N I S**

*Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum.*

*Non numerata pecunia est consequens. Est uero numerata pecunia argentum, est igitur legata.*

**A R E P V G N A N T I B V S**

*Hoc modo, non si homo est Cicero, animal non est.*

**R E P V G N A N T .**

*Hominem esse, & animal non esse.*

*Atqui homo est Cicero, est igitur animal.*

**E X E M P L V M C I**

*ceronis.*

*Non & legatum argentum est, & non est legata numerata pecunia.*

**R E P V G N A N T**

*Legatum esse argentum, & non legatam pecuniam numeratam.*

*Atqui legatum est argentum, legata igitur numerata pecunia est.*



CVM AVTEM ALIQUA  
coniuncta &c.

Coniuncta ut homo, & animal, negaris hoc modo, non homo, non animal est, si ex his primum sumpseris. Atqui homo est, quod relinquitur tollendum est, relinquitur uero, non animal est, hoc tollitur, & concluditur, animal igitur est.

SED HOMERVS PRO  
pter excellentiam &c.

Idem habes de Homero in insti. de iu. na. gen. & m. Par. sed ius.

EX HOC GENERE

De fato, uide Gellium lib. sexto, Cap. secundo, & Cicero. de fato.

SI TELVM.

Ad hunc locum pertinet, Par. iniuria occiditur insti. de L. A qui.

Annotauit Boëtius uoluntatem in maleficijs condemnari, id quod L. firmari potest, L. Diuus Adrianus. ff. ad L. Corne. de sica. In maleficijs uoluntas spectatur, non exitus. Item L. i. Par. Diuus Adrianus, & cætera.



IN OMNIBVS IGITVR

iudicijs &c.

Bona fides in actionibus aliquando pro æquitate usurpatur, nam in bonæ fidei actionibus, æquitas consideratur, ut dicit glo. in rubrica de sum. trini. & fi. catho.

Porro quæ sint actiones bonæ fidei, uide Par. Actionum insti. de actio.

Iudicium rei uxoriæ est, quoties post diuortium de dote contentio est C. de rei uxo. act.

Dos licet matrimonio constante in bonis uiri sit. ff. de iu. do. L. i.

Est tamen in mulieris iure &c. C. solu. matrimo. quemadmodum dos pe.

Si culpa uiri diuortium factum, æquius melius est, nihil apud uirum manere C. de repu. L. consensu.


Si uero culpa mulieris, & ipsa perdit dotem C. eo. L. eadem.

Quid æquum bonum sit, Vide Cicero. lib. ad Heren. 2. & Aristo. li. ethico. 5.

De Pausania, cuius Cicero mentionem facit, Vide Thucydidem lib. 2. belli peloponnesiaci.



Haganoæ apud Iohannem Secerium.  
Anno. M. D. XXVII.  
Mense Aprili.





Janus princeps sapientissimus  
italie iam frigitur bifrons.



ομοιῶδι ομοιωῶ

διαβαθύνω 10:2-3  
congr:  
διαβαθεῖω

ετέλω

διωαίρω 1404: 404: τυχαίω

διωαίρω

εληῖσαι ελεεῖω

προθερῶ

ορνιθοποιῶ

προβινερκα - ηνεγκω

παραβκω 1404: 1404: παραβκω

μακροῦ μηδον

βλαφηναις

παραπλάσματις  
βλαφηναις

βλαφηνιζομαι, ex inimis viscerib.  
connoison

αθιμι κενιτο

επερχομαι, inuicis

πνίγω, suffoco comprimere a salo  
winiu lauz

απόδος υπη: αποδωσει υπη: dos  
ω δοτε

παρακαλέω

κοπέω













AB 137 444

ULB Halle

3

003 906 078





K









# DIALE

CTICA PHIL.

MEL. AB AVTO

re adaucta & recognita,  
ita ut in multis ueterem  
non queas agnoscere.

Epitome Dialectices, Theo  
baldo Billicano autore.

Scholia in Topica Ciceronis,  
Autore Hegendorphino.

Omnia iam recens na  
ta & edita.